RECEIVED NOV 12 1925

ex bibliotheca generosa

No. 1950
e bibliotheca
Le Jeune d'Iseed
Verv

Wondelgem, 1912
George Sarton

LIBRARY OF THE GRAY HERBARIUM
HARVARD UNIVERSITY
THE GIFT OF

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

SYLLOGE
PLANTARUM NOVARUM
ITEMQUE
MINUS COGNITARUM

A

PRAESTANTISSIMIS BOTANICIS
ADHUC VIVENTIBUS COLLECTA

ET

A SOCIETATE REGIA BOTANICA
RATISBONENSI

EDITA.

CUM TABULA AENEA.

RATISBONAE,
TYPIS VIDUAE C. E. BRENCK.
1824.

HARVARD COLLEGE
JUL 27 1920
LIBRARY

Dr George Porter
Cambridge
Vols. I & II

TRANSFERRED TO
GRAY HERBARIUM

Plurimum

Reverendo Praenobili ac Meritissimo

Domino

Francisco de Paula de Schrank

Regiae Majestatis Bavaricae
Consiliario intimo,

Ordinis civilis meritorum coronae bavaricae
Equiti,

Horti botanici Monacensis
Directori,

Academiae regiae Scientiarum
Socio Ordinario
etc. etc.

Nestori botanicorum indefesso.

Praefatio.

Sylloges plantarum novarum vel minus cognitarum, quae in publica nostra sessione de anno 1821. 10. Novemb. decreta et hucusque per partes divisa in lucem prodibat, tomus primus finem jam attigit. Offerimus eum botanices cultoribus, persuasi, multum inde incrementi nostrae scientiae accessisse, atque ad observantiam et intimum grati animi sensum omnibus et singulis, qui hunc in finem operam suam

contulerunt, publice exhibendum nos obstrictos censemus, enixe simul precantes, ut et in posterum auxiliis suis nos fovere et adjuvare non desistant.

Societas reg. botan.
Ratisbonensis.

Index.

Acer campestre. Pagina 187.
Achillea mongolica. 67.
Acladium simplicissimum. 165.
Adenanthera Pavonia. 225.
Aerophyton Principis. 163.
Agaricus acutaesquamosus. 70.
—— affinis. 71.
—— cepaestipes. 123.
—— melleus. 72.
—— spectabilis. 73.
—— tepidanus. 69.
Agrostis diandra. 163.
Amaryllis solandraeflora. 40.
Amomum. 173.
Amphibecis violacea. 86.
Anatherum Berterianum. 18.
—— caudatum. 20.
Anchusa versicolor. 197.
Angraecum maculatum. 41.
Anthemis stryiaca. 12.
Aquilegia alpina. 219.
—— viscosa. 220.
Artemisia afra. 42.
Arundo occidentalis. 21.
Aspergillus glaucus. 165.
Asplenium Ruta muraria. 188.
Aster fruticulosus. 44.
—— reflexus. 43.
Astrapaca Wallichii. 41.
Baccharis glutinosa. 230.
Barbula fastigiata. 34.
—— Funkiana. 36.
—— Hornschuchiana. 35.
—— microcarpa. 35.

Brehmia arborescens. Pag. 85.
Brevius. 175.
Bromelia fastuosa. 37.
Caladium viviparum. 167.
Campanula crassifolia. 6.
—— elatinoides. 154.
Canna. 172.
—— Buckii. 119.
—— lanceaefolia. 189.
—— lutea. 190.
Carduus Decandollii. 112.
Carex Heleonastes. 74.
—— lagopina. 77.
Cassia Aeschynomene. 91.
—— divaricata. 94.
—— ligustrina. 66.
—— parvifolia. 65.
Cattleya labiata. 126.
Celosia exstipulata. 202.
Cephaelis calycina. 41.
Cerathanthera. 174.
Chaerophyllum tenuifolium. 203.
Cissus pruinata. 224.
Cleome arborea. 227.
—— brasiliensis. 122.
Clitoria gladiata. 229.
Cnicus spathulatus. 157.
Convolulus heterophyllus. 197.
—— pensylvanicus. 197.
—— undulatus. 198.
Correa virens. 205.
Croton tomentosum. 215.
Cucurbita pinnatifida. 190.
Cyperus olivaris. 105.
Cypripedium insigne. 143.
Cytisus virgatus. 23.
Delima tripetala. 95.
Dianthus seguieri. 209.
—— tataricus. 210.
Dipliptera portoricensis. 17.
Drosera capensis. 44.
—— cuneifolia. 44.
—— cistiflora. 45.
—— indica. 45.
Echinospermum deflexum. 60.
—— Lappula. 61.
—— squarrosum. 61.
Elatine hexandra. 83.
—— hydropiper. 83.

Elatine major. Pagina 83.
—— triandra. 82.
Eleusine Gonantha. 191.
—— tristachia. 191.
Erophila spathulata. 180.
Eryngium Tournefortianum. 32.
Euphorbia caespitosa. 214.
—— epithymoides. 187.
—— helioscopia. 187.
—— homophylla. 185.
—— spongiosa. 214.
Fingalia hexagona. 87.
Galium caucasicum. 195.
— palustre. 187.
Garuga pinnata. 205.
Genista pubescens. 181.
Geum alpinum 218
—— heterophyllum. 217.
Gliotrichum Casseliae. 166.
Gratiola portulacea. 222.
Haplotrichum candidum. 167.
Hibiscus spathaceus. 99.
Hieracium auriculoides. 183.
—— obscurum. 184.
Hutchinsia corymbosa. 169.
Hypothronia undata. 85.
Hyptis lamiifolia. 225.
Jacobaea glastifolia. 45.
Inula hetrusca. 160.
Ipomaea soldanellaefolia. 198.
Jungermannia. 127.
—— fluitans. 129.
—— viridula. 133.
Jussieua tithymaloides. 205.
Justicia leucantha. 233.
—— vulgaris. 16.
Kaempferia. 176.
Lamium micranthum. 68.
Lathyrus grandiflorus. 182.
Lepidium Sieberi. 171.
Leptochloa procera. 2.
Lestiboudesia philippina. 118.
Lissoschilus speciosus. 125.
Lycopus europaeus. 90.
—— exaltatus. 90.
—— rubellus. 88.
—— virginicus. 91.
Malva Alcea. 150.
—— crispa. 149.

Malva mauritiana. Pagina 147.
—— moschata. 152.
—— neglecta. 140.
—— rotundifolia. 142.
—— sylvestris. 145.
—— verticillata. 140.
Manulea crystallina. 226.
Matthiola arborescens. 188.
Murucaja Baueri. 127.
Myosotis alpestris. 55.
—— arvensis. 60.
—— caespitosa. 56.
—— collina. 58.
—— intermedia. 59.
—— laxiflora. 54.
—— Lithospermifolia. 57.
—— nana. 54.
—— palustris. 54.
—— repens. 55.
—— sparsiflora. 58.
—— strigulosa. 55.
—— suaveolens. 57.
—— sylvatica. 56.
—— versicolor. 58.
Myrrhis tenuifolia. 203.
Nuphar sericea. 180.
Ocymum villosum. 121.
Oncidium barbatum. 124.
Orchis erubescens. 10.
—— imbricata. 80.
—— signifera. 79.
Osteospermum rigidum. 47.
—— spinescens. 46.
Othonna abrotanifolia. 47.
—— pectinata. 47.
Paederota Bonarota. 102.
Panicum brevifolium. 193.
—— colonum. 106.
—— tenuiflorum. 192.
Papaver bracteatum. 41.
—— corsicum. 219.
—— davuricum. 219.
Parietaria officinalis. 187.
Passiflora verruculosa. 228.
Pedicularis palustris. 187.
Pharnaceum incanum. 48.
Phrynium. 177.
Picris paleacea. 78.
Pilea muscosa. 39.

Plantago Cornuti. Pagina 107.
—— hirsuta. 49.
—— Loeflingia. 50.
Plectranthus divaricatus. 68.
Poa articulata. 194.
Polemonium muricatum. 198.
Polycnemum verrucosum. 179.
Polypodium hottentottum. 50.
Polyporus Pisâchapâni. 241.
Populus villosa. 185.
Potentilla geminiflora. 216.
Primula glaucescens. 158.
—— sinensis. 40.
Pterospora Andromedea. 40.
Ptychostomum cernuum. 64.
—— compactum. 62.
—— pendulum. 64.
Pulsatilla intermedia 221.
Raphiolepis rubra. 38.
Reinwardtia javanica. 98.
Relhania paleacea. 50.
Rhamnus obscurus. 202.
Rhus angustifolium. 51.
—— rosmarinifolium. 51.
Rosa pentaphylla. 215.
Rubi. 230.
Rubus bifrons. 232.
—— ferox. 236.
—— holosericeus. 240.
—— hypoleucos. 235.
—— nutans. 238.
—— sulcatus. 237.
—— velutinus. 234.
Salicornia mucronata. 15.
Saxifraga amplexifolia. 114.
—— caespitosa. 207.
—— Chamissoni. 117.
—— compacta. 116.
—— elegans. 208.
—— Eschholtzii 117.
—— exilis. 116.
—— flavescens. 117.
—— fragilis. 206.
—— gracilis. 115.
—— hypnoides. 207.
—— marginata 114.
—— Merkii. 114.
—— melaleuca. 115.
—— neglecta. 116.

Saxifraga pauciflora. Pagina 115.
—— Schraderi. 117.
—— serrata. 208.
—— Stephaniana. 116.
—— tridactylitis. 207.
—— uniflora. 118.
Scinaia forcellata. 136.
Scirpus leptaleus. 8.
—— Savii. 104.
Sclerotium vestitum. 73.
Sida amoena. 120.
Silene gyphsophiloides. 212.
—— marginata. 210.
—— micropetala. 212.
—— petraea. 211.
—— sibirica. 212.
Smyrnium officinale. 109.
—— perfoliatum. 111.
Solanum atropurpureum. 200.
—— incarceratum. 201.
—— molle. 199.
—— uncinatum. 200.
Spiranthes pudica. 125.
Spiridens. 1.
Tacca integrifolia. 203.
Thalictrum laserpitiifolium. 221.
Thlaspi alpestre. 26.
—— alpinum. 31.
—— montanum. 30.
—— praecox. 28.
Triumfetta oblonga. 213.
Trileuxis falcata. 38.
Urena manritiana. 243.
Urtica angustifolia. 195.
Vanda teretifolia. 40.
Verbascum heterophyllum. 156.
—— micranthum. 155.
—— Veldenii. 108.
Veronica arguta. 103.
Zerumbet. 174.
Zygophyllum sessilifolium. 52.

Sylloge
plantarum novarum
vel
minus cognitarum.

Novae plantarum species in horto botanico Bonnensi cultae. *)

Leptochloa Beauv. Tab. XV. fol. 1.

Trin. Agrostogr. p. 33. 71. *Leptostachys Meyer Essequeb.* p. 73. *Oxydenia Nutt. Leptochloa* et *Rhabdochloa R.* et *Sch.* S. V. II. p. 32. et 37. *Panzer Denkschr.* d. K. A. d. W. *zu München.* 1813. p. 305. T. X. f. 1.

Char. gen. Racemi rachi communi affixi. *Spiculae* subunilaterales. *Gluma* (Calyx) 3—5 flora, membranacea, persistens, flosculis brevior: valvis herbaceo-carinatis, acutis. *Glumella* oblonga, membranacea, infra apicem bifidum saepe setula terminata. *Glumellula* valvellis collateralibus. *Semen* liberum.

*) Novarum, quae sorte obvenissent, plantarum descriptiones, aptissimo hoc loco typis excudenda curabimus.

N. a. E.

1.

1. *Leptochloa procera Nees.*

Char. spec. L. vaginis foliisque glabris, panicula laxiuscula, spiculis sessilibus subtrifloris brevissime mucronatis, valvulis corollinis exterioribus integris nudis, culmo frutescente.

Syn. Festuca filiformis Lam. spicis sparsis plurimis filiformibus, spiculis sessilibus minimis subbifloris. *Lamarck Ill.* 1. nro. 1044. *R.* et *Sch.* Syst. veg. II. p. 519. nota?

Patria: Brasilia, unde semina ab ipso ex itinere relata horto Bonnensi humanissime tribuit serenissimus Princeps *Maximilianus,* Neovidensis.

Descriptio. Culmi plures ex eadem radice lignosi, crassitie pennae cygneae vel crassiores, alii tenuiores immixti, trium ad quinque pedum altitudine, erecti, glabri, multinodes, adultiores basi vaginis foliorum exuti, superne fasciculatim ramosi; internodia teretia, laevia; genicula inferne truncata, bipartita, glabra. *Vaginae* semipedales, teretes, culmum arcte circumvestientes, striatae, glabrae. *Ligula* angusta, truncata, margine tenuissime crenulato-ciliata, alba. *Folia* fasciata (linearia), angusta, a pollicum 8 ad pedis unius duorumve longitudinem protensa, ubi latissima sunt quatuor ad quinque lineas latitudine non excedentia, erecta, acuminata, planiuscula, strictiuscula, nervoso-striata, glabra, ad nervos utrinque marginesque retrorsum scabra, basi parumper

ciliata, laete viridia, subtus aliquanto pallidiora; suprema minora, basi utrinque auriculata vaginisque a culmo dehiscentibus praedita. *Panicula* terminalis, parum ultra vaginam extremi folii eminens vel eadem basi adhuc involuta, 4 — 5 pollices longa: rami simplices, filiformes, spicati, patentes, fertiles decurvi; inferiores subverticillati vel fasciculati, superiores alterni. *Rachis communis* teretiuscula, laevis, superne parum flexuosa; *raches propriae* filiformes, undatae, supra planae, striatae, subtus uniangulatae, glabrae, margine scabrae. *Spiculae* in latere inferiori racheos propriae subsecundae, disticho-alternae, vix lineam longae, imbricatae, lineari-lanceolatae, brevissime pedicellatae vel potius sessiles, obtusiusculae, ex albo pallidaque purpura variegatae. *Calycis* valvularum carina, valvularum corollinarum carina et nervulo laterali viridibus setulisque brevissimis scabris, reliqua autem valvularum membrana tenui et glabra. *Flosculi* 2 — 4. calyce duplo fere longiores, arcte imbricati, brevissime pedicellati, axi flexuosa glabra. *Valvula exterior* flosculorum inferiorum infra apicem subtilissime denticulatum, seta brevissima purpurascente scabra mucronulata, superiorum plerumque mutica.

Critica. Differt a *Leptochloa virgata*, *R.* et *Sch.* S. V. II. p. 580. 3., culmo perenni, spiculis rarissime quadrifloris, utplurimum tantum 2 — 3 floris, valvulis corollinis exterioribus integris, nec apice bidentatis, margineque vix ciliatis; —

a *Leptochloa filiformi*, *R.* et *Sch.* l. c. p. 580. 2. *Panz.* l. c. p. 302., vaginis foliisque glabris; —

a *Leptochloa chinensi* (Poa chinensi R. n. pl. sp. p. 65.), flosculis paucioribus, spiculis longius pedicellatis; —

a *Leptochloa domingensi* (Rhabdochloa P. B. *R.* et *Sch.* l. c. p. 619. 4.), *Panz.* l. c. p. 302. T. X. f. 1. a — f, vaginis glabris, spicis paniculae basi nudis, nec pilorum fasciculo stipatis, spiculis brevissime setigeris fereque muticis, neque, ut in *L. domingensi* evidenter aristato-setigeris; —

a *Leptochloa gracili*, *Humb.* et *Kunth* n. *gen. et sp.* I. p. 168 (sub Chlori) vaginis glabris, valvulis corollinis nudis, nec ciliatis, apice integris, mucronatis, nec aristatis, flosculorum numero minore; —

a *Leptochloa* (Chlori) *dubia Humb.* et *Kunth* l. c. p. 169, panicula aequali, nec subfastigiata, flosculorum numero minore, valvulis nudis, nec ciliatis; —

a *Leptochloa digitaria*, *Humb.* et *Kunth* l. c. p. 168., culmo perenni, spiculis paucifloris, valvulis nudis nec apice bifidis, seta etiam multo breviore praeditis.

Obs. I. Leptochloae cynosuroides, *tenerrima* et *monostachya R.* et *Sch.* e genere isto sunt eliminandae; reliquarum definitiones ad Humboldtianarum exemplum accuratius elaborandae.

A) *L. filiformis:* vaginis foliisque pilosis, panicula coarctata, spiculis subtrifloris, valvulis corollinis apice bifidis muticis, culmo perenni.

B.) *L. chinensis*: vaginis foliisque glabris, panicula laxa, spiculis subsexfloris subciliatis pedicellatis patulis, valvulis corollinis exterioribus integris muticis, culmo perenni.

C.) *L. virgata:* foliis vaginisque glabris, panicula laxa, spiculis sessilibus subsexfloris, valvulis corollinis apice bifidis, inferioribus setigeris, radice annua.

D.) *L. domingensis:* foliis glabris, vaginis hirsutis, paniculae laxae basi barbatis, spiculis subsessilibus subquinquefloris, valvula corollina inferiori apice bifida longius setigera, caule perenni.

Obs. II. Character naturalis ejusmodi apparuit in ista specie:

Panicula polystachya. *Spicae* filiformes, graciles, secundiflorae. *Spiculae* alternae, subsessiles, imbricato-adpressae, pleraeque bi- et triflorae, ad summum quadriflorae.

Gluma (Calyx, Tegmen) bivalvis, membranacea, flosculis brevior; valvis (spathellis) inaequalibus, lanceolatis, carinatis, acutis,s ubmucronatis, margine tenuissime subciliatis, carina scabris, uninervibus, inferiore dimidio minore.

Glumellae (Corolla, Stragulum) 2—4, glumae similes, approximatae, imbricatae, infima sessilis, reliquae in axi brevissima flexuosa glabra subpedicellatae, bivalves, membranaceae; valvula (spathellula) inferiori magnitudine valvae glumaceae superioris, trinervi, tenuissime punctulata, glabra, apice subtruncata, integra, crenulata, nervo dorsali scabro, ad apicem in setulam (seu mucronem)

brevissimam prominente, nervis marginalibus remotis abbreviatis, utrisque herbaceis et viridibus; valvula superiori duplo minore, ab inferiori inclusa, tenera, lineari-lanceolata, marginibus inflexis, apiceque truncato pulchre scabrido-ciliata. *Glumella* terminalis minor, sterilis, valvula superiori minutissima interdum omnino deficiente.

Glumellulae (Lodiculae) bivalves; valvellulis seu squamis ovato-lanceolatis, acuminatis, ciliatis; ciliis articulatis.

Stamina tria, structurae solitae, *filamentis* brevibus, fugacissima.

Pistillum: germen oblongum, obtusum; *styli* duo, basi geniculati; *stigmata* aspergilliformia purpurea.

Semen trigono-conicum, calyce persistente rigidiori tectum, liberum.

Chr. Godofr. Nees ab Esenbeck.

2.

2. *Campanula crassifolia Nees.*

Char. spec. C. caule suffruticoso diffuso, foliis petiolatis dentato-crenatis subcarnosis laevibus, summis lanceolatis subintegerrimis, pedunculis unifloris, corolla patente.

Locus prope a *C. diffusa Vahlii*, quae dentibus foliorum acutis, petiolis folia aequantibus, foliorum textura aliisque notis differt; neque magis convenit nostra cum *C. Portenschlagiana R.* et *Sch.* Vol. V. p. 93. — *C. cochlearifolia Cyr.* cum aliis hederaceis, Eu-

ropae australi indigenis, peculiari partium specie longius ab ista removetur.

Patria: Colitur in Horto bot. *Bonnensi*, ex horto quodam illata sine nomine. Nunc demum ex *America septentrionali* una cum multis aliis plantis, notatu dignissimis, hujus quoque *Campanulae* specimina sicca allata, *Naumanni* nostri cura et benevolentia ad nos pervenerunt, quae, circa *Philadelphiam* urbem lecta, cultis nostris perquam similia inveniebantur, neque his nomen adscriptum erat, ut itaque speciem hanc et existimare novam et novo nomine appellare liceret.

Descriptio. Tota *planta* glaberrima. *Caulis* suffruticosus, basi lignescens. *Rami* herbacei, longe simplices, virgati, debiles, procumbentes, subangulati. *Folia* ad ramorum ortum longissime petiolata, petiolis supra canaliculatis, parva, reniformia, crenato-dentata, subcucullata, media brevius petiolata, subrotunda, denticulata, superiora ex ovali-lanceolata, subintegerrima, omnia subcarnosa, coriacea, nitida. *Flores* solitarii in ramulis brevibus terminalibus, foliolis linearibus stipatis, magni, albido-coerulescentes, fundo saturatiori. *Calyx* basi sulcato-angulatus, quinquepartitus; laciniis linearibus, rigidulis, integerrimis, corolla dimidio brevioribus. *Corolla* campanulata; limbo patente. *Filamenta* coerulea, basi dilatata, utrinque pilis candidis ciliata. *Antherae* flavescentes. *Stylus* albus, longitudine corollae; *stigmatibus* floccosis.

Obs. In locupletisssima plantarum Horti Regii Berolinensis enumeratione, nuper edita, *Campanulae fragili Cyrilli*, seu *diffusae Vahlii*, quae „ramis multifloris“ describitur, Synonymon tribuitur *Campanulae cochlearifoliae Lam.*; quo facto, nisi planta nostra ex illarum nexu longius repelli videatur, ob ea, quae ad calcem leguntur: „Foliis reniformibus crenatis carno„sis facile distinguitur“, nostram speciem illi, *fragili* dictae, nuptam dimitteremus. Verum *Campanulae cochlearifoliae* nomine etsi duas easque diversas species junctim tradi, vix sit, quod dubitemus, tamen neque unam, neque alteram earum, huic nostrae parem esse, credimus. Quae cum ita sint, iconem hujus speciei pictam in eo, qui jam paratur, „plantarum Horti *Bonnensis* selectarum“, Fasciculo edituri sumus.

Fridr. Nees ab Esenbeck.

3.

1. *Scirpus* (Isolepis) *leptaleus Koch.*

Char. spec. S. culmis setaceis striatis, basi monophyllis, spicula solitaria ovata acuta inclinata, involucri subdiphylli folio inferiori erecto spiculam subaequante, glumis obtusis carinatis triandris, stigmatibus tribus, nuce subrotundo-obovata trigona laevi.

Patria: Gallia australis, in Cebennis montibus.

Floret Augusto.

Descriptio. *Radix* fibrosa, fibris copiosis parce fibrillosis. *Culmi* caespitosi, bipollicares, semipedales, vel paulo altiores, filiformes, tenues, valde graciles, glaberrimi ut tota planta, subcompressi, striati, basi vaginis binis inclusi. *Vaginae* striatae, fusco-purpurascentes; inferior squamaeformis, laxior, plerumque aphylla; superior arctior, apice oblique truncata et in folium desinens angustissimum, supra canaliculatum, subtus striatum, in aliis culmis brevissimum, in aliis pollicare, bipollicare. *Spicula* terminalis solitaria, inclinata, 1 — 2 lineas longa, ovata, acuta, multiflora, spiculis *Scirpi setacei* valde similis, involucro diphyllo glumaceo suffulta. *Glumae* ovatae, obtusae, lineis elevatis teneris percursae, dorso convexae, apice compressiusculae et paululum reflexae, mucronulo exiguo terminatae, virescentes, lateribus ferrugineo vel castaneo colore tinctae vel eodem striatae, margine angusto dilutiore, et nervo dorsali viridi instructae. *Gluma* infima reliquis major sterilis, ovato-oblonga, in spicula florente hanc aequans vel parum superans, in fructifera dimidio plerumque brevior, in mucronem foliaceum erectum terminata, saepe brevissimum, interdum spiculam aequantem, rarius parum superantem, folium involucri inferius constituit. *Gluma* secunda reliquis quoque paulo major, caeterum non diversa et plerumque fertilis, adpressa, sub anthesi alterum involucri folium, in fructifera spicula minus evidens, exhibet. *Setae* nullae. *Stamina* tria. *Stylus* perbrevis. *Stigmata* tria,

glumis parum longiora. *Nux* subrotundo-obovata, spadicea, trigona, laevis, sub lente bene augente subtilissime punctulata et transversim undulata.

Critica. *Scirpum* hunc, quantum scio indescriptum, indefessus *Salzmann* in Cebennis montibus detexit et mecum nomine *S. acicularis* communicavit, cum quo vero praeter tenuitatem culmi et parvitatem spiculae vix congruit. Longe enim differt *S. acicularis:* vaginis aphyllis, spiculis paucifloris erectis involucro destitutis, glumis alio modo comparatis et coloratis, nucibusque angustioribus longioribus albidis costatis. Maxime autem noster *Scirpus leptaleus* convenit cum *S. setaceo*, sed et ab hoc notis pluribus abunde differt: culmi sunt profundius striati, spiculae solitariae graciliores, acutiores, involucrum spicula brevius est, raro eandem paulo superat, nuces acutius trigonae laevesque sunt, sub lente bene augente tantum subtilissime punctulatae, nec costatae.

Observ. Involucri folium inferius parum elongatum, quod saepius fit, culmi continuationem mentitur, ut in *Scirpo setaceo*, *supino*, *lacustri*, aliisque.

Dr. Koch.

4.

1. *Orchis erubescens Zuccarin.*

Char. spec. O. radicibus palmatis, labello ovato-lanceolato obtuso obsolete crenato trilobo

petalis exterioribus lateralibus lanceolatis patenti-subreflexis, cornu paulo incurvo germine paulo breviore.

Syn. Orchis palmata angustifolia minor. *Bauh. pin.* 85.?

Patria: *Bavaria*, in pratis alpinis comitatus *Werdenfelsensis* d. *Karwendels* et d. *Hochalpes.*

Floret Augusto. ♃.

Descriptio. *Bulbus* quisque plerumque in quatuor ramos divisus. *Caulis* pedalis vel sesquipedalis, teretiusculus. *Folia* lineari-lanceolata, 3 — 4 pollicaria, glaucescenti-viridia. *Flores* in racemo subsecundo laxe dispositi, bracteis suffulti e lanceolata basi longe acuminatis illos bis aequantibus, extus dilute roseis, intus albi, colore paulo in ochroleucum vel juxta marginem in roseum vergente. *Corolla* orchidaea: *petalis* exterioribus lateralibus lanceolatis, patenti-subreflexis, superiore ovato, obtuso, interioribusque lateralibus erectis: *labello* ovato-lanceolato, obtuso, obsolete crenato, trilobo; *cornu* paulo incurvo quam ovarium breviore.

Critica. Affinis *O. conopseae* et *odoratissimae* et valde accedens ad *O. suaveolentem* sed ab omnibus diversa. — Differt enim

ab *O. conopsea* tota planta multo tenuiore, spica laxiore, bracteis longioribus, et e lanceolata basi multo angustioribus, floribus minoribus, petalis acutioribus.

ab *O. odoratissima* cum qua spicae longitudine et floris colore convenit, spica laxiore, bracteis multo longioribus.

ab *O. suaveolenti:* spica longiore multo laxiore, cornu incurvo longiore.

Dr. Zuccarini.

5.

1. *Anthemis styriaca Vest.*

Char. spec. A. caule erecto glabro unifloro, basi folioso, foliis petiolatis glabris subbipinnatis subquadrijugis: pinnis simplicibus lanceolatis cuneiformibusque divisis.

Patria: Styria superior, in alpe der hohe Zinken dicta, wenn man von Sekau durch den Steinmüllengraben über die Wolfspafs zur Spitze hinaufsteigt, am Gräbel (Steingerölle) das unter dem Mitterplan liegt.

Floret Augusto, Septembri. ♃.

Descriptio. Radix perennis, subcylindrica, fere transversa, subtus fibris jubata, plerumque multiceps, et copiosis foliorum rudimentis tecta, pennae gracilioris crassitie, parum aromatica. *Caules* subspitamales, simplices, teretes, erecti, glabri, foliis aliquot alternis, modo tantum basi, modo ad medium usque instructi, sat firmi, uniflori. *Folia* glabra sunt subcarnosula. *Petiolus* angustus, in radicalibus sesquipollicaris, in caulinis brevior, fine pinnatus est, aut si mavis, potius

pinnati-partitus, nam pinnae confluunt cum rachi. Haec pars folii circumscriptione est ovato-subrotunda. *Pinnae* plerumque jugorum 3 — 5 lineas 4 — 8 longae, peracutae, integerrimae, inferiores lanceolatae, simplices, subseque antrorsum latescentes, bi-trifidae, terminalis, quae racheos ipsius finis est, fere semper trifida. *Folia* radicalia a superioribus caulinis non differunt nisi magnitudine, petiolis multo longioribus; pinnis pluribus et majoribus. *Flos* unicus terminalis, magnus, fere exacte florem *Chrysanthemi Leucanthemi* refert. *Anthodium* tenuiter hemisphaericum, phyllis arcte imbricatis, carina et margine atratis, caeterum inter has lineas nigrescentes, luride virentibus. *Receptaculum* convexum instructum paleis lanceolatis, peracutis, fere cuspidato-pungentibus, flosculos virgineos saepe superantibus. *Radii* foeminei albi, oblongo-lanceolati, fine inaequaliter tridentato, 12 — 16 imo plures. *Discus* convexus, luteus, flosculis familiae, tactu quodammodo asper, at paleas prominulas. *Semina* columnaria, sube tetragona, glabra, coronata margine minuto denticulis instructo. *Odor* nullus. *Sapor* amarus.

Critica. Haec stirps affinis est A. *alpinae, carpaticae* et *montanae*, sed

A. *alpina* gaudet foliis multijugis, sessilibus, pinnis lineari-subulatis, rachi angustioribus, floribus dimidio minoribus, radice fibrosa.

A. carpathica mihi non visa sed cel. *Wildenow*, in spec. plantarum 2179. A. *alpinae si-*

millimam dicit, pinnas lineares, integerrimas, obtusas, ei adscribit. Ergo a nostra stirpe penitus diversa est. Adnotatu dignum omnino mihi videtur cel. *Wahlenberg.* in flora carpat. perhibere, in alpibus carpaticis ignotam esse et *A. alpinam* et *A. carpaticam.* Quia cel. *Wildenow. A. alpinae* foliorum lacinias, carpaticae vero, pinnas tribuit, illas cum rachi confluere, fors voluit indicare, has vero tantum inseri et adnecti. In A. *styriaca* pinnae nil nisi segmenta ad rachim usque distincta fere cuspidata.

A. montanae teste *Linneo hort. Cliffort.* sunt rami procumbentes, pedunculi solitarii, longissimi, uniflori, teste *Gerardo*, paleae setaceae, phylla magna, membranacea, pedunculi praelongi, aphylli, flores carnei, teste *Columna* folia lanuginosa, caules supini. In icone *Bauhini* et *Columnae* radii perbreves, in illa *Gerardi* circiter longitudine diametri disci. Radix praeterea biennis dicitur. *Columna* comparavit florem cum *Abrotano foemina* (Santolina) nec cum *Chrysanthemo vulgari* notissimo.

Ergo nostra *Anthemis* certe diversa.

Observatio. Variat interdum petiolis caulinis aliquot pinnis brevibus quasi stipularibus instructis.

Prof. Dr. a Vest.

Descriptiones specierum aliquot novarum vel minus cognitarum, in systemate vegetabilium ed. Römer et Schultes addendarum; communicavit J. A. Schultes, M. Dr. et Prof. p. o.

6.

1. *Salicornia mucronata Lagasc.*

Char. spec. S. caule fruticoso, ramis foliisque oppositis, foliis ovatis concavis carinatis mucronulatis pungentibus. *Lagasca* in *Herrera Agricult. ed.* 1818. *p.* 280. et, hoc teste: *Kali* I. et II. *Bauh. hist.* III. *p.* 705.

Patria: In regno Granatensi circa Nejar. D. Roxas Clemente. In Aegypto circa Damiatte. Sieber?

Descriptio. Specimina nostra spithamaea et pedalia. *Caulis* crassitie pennae; *rami* fili emporii crassioris. *Internodia* inferiora ramorum duas fere lineas longa, superiora valde approximata. *Foliorum* margo membranaceo-cartilagineus. *Flores* in axillis utrinque sessiles, plerumque terni. *Antherae* parum prominentes, et, ut videtur, numero inconstantes. *Semina* non vidi.

Critica. Affinis *S. fruticosae L.*, sed, praeter characteres datos distincta etiam colore pallidiore. Lagasc. l. c.

Observatio. Huc nobis videtur spectare, fide speciminum a cl. *Sieber* circa Damiatte lectorum *Salicornia glauca Delisle*, a cl. *Steu-*

del in *Nomencl.* cum *virginica* conjuncta. Quadrat ad amussim diagnosis.

7.

2. *Justicia vulgaris Bertero.*

Char. spec. J. spicis axillaribus terminalibusque, bracteis lineari-lanceolatis acuminatis margine membranaceis.

Patria: America, in plateis *Portorico. Bertero.*

Descriptio. Specimen nostrum a cl. *Balbis* communicatum bipedale. *Caulis*, ut videtur, herbaceus, teres, glaber, striatus, ad genicula purpurascens, supra eadem contractus, crassitie pennae anserinae tenuioris. *Folia* opposita; inferiora lanceolata, basi attenuata, longe acuminata, glabra, petiolo $\frac{1}{2}$ poll., 5-pollicaria, pollicem lata: superiora ejusdem longitudinis, sed lineari-lanceolata, subulato-acuminata, 4—2 lin. lata, in specimine sicco reflexa. *Flores* axillares sessiles, oppositi, solitarii, pluresve, spicam sistentes $1\frac{1}{2}$ poll., et ultra; foliis floralibus similibus caulinis, sed multo angustioribus, brevioribus, 2—$2\frac{1}{2}$ poll. ad flores inferiores, pollicis sub superioribus; inferioribus recurvis, superioribus erectis. *Bracteae* sub singulo flore 3, duae lineari-lanceolatae, longitudine laciniarum calycis, tertia lineari-setacea, parum brevior. *Calyx* ad basin usque 5-partitus, laciniis lineari-lanceolatis, subulatis, patentibus, margine membranaceis, sub lente scabriusculis, 4 fere linearum, vel parum ultra. *Tubus corollae*

unicae expansae superstitis in specimine nostro longitudine calycis, labio superiore horizontali, 2 fere linearum. Color corollae siccae laete ferrugineus. *Filamenta* glabra. *Antherae* geminae, altera sub altera, inferiore apice subaristatâ. *Stylus* longus, glaber; *stigmate* vix incrassato. *Capsula* (fere matura) calyce duplo longior, turbinata, acumine brevi, pubescens. *Semina* 2, subglobosa, sordide alba: an matura? *Flores* plures clandestini videntur.

Observatio. J. reflexiflora Vahl proxima ex descriptione; sed „corollam bilabiatam" non ringentem, notavit amiciss. *Balbis;* nec flos ullus e defoetis plurimis reflexus. Hinc *J. cartaginensi* subjungenda.

8.

3. *Dicliptera portoricensis Spreng.*

Char. spec. D. spicis axillaribus terminalibusque erectis, ramis angulatis, floribus sessilibus subsecundis solitariis confertisque, foliis ovatis subhirsutis petiolatis.

Syn. Justicia nov. spec. Bertero.

Patria: In Portorico cls. Bertero legit.

Floret Decembri.

Descriptio. Specimen nostrum Berterianum, ab amicissimo *Balbis Diclipterae portoricensis Spreng. in litt.* nomine insignitum, sesquipedale, caule sexangulari, sulcato, scabro, geniculis subincrassatis, crassitie pennae corvi. *Folia* breviter acuminata, decussata; alterum majus cum

petiolo semipollicari $2\frac{1}{2}$ poll., ultra pollicem latum; alterum tertiâ circiter parte minus; omnia margine ciliata, integerrima, pilisque brevibus, rigidiusculis, albis, praecipue ad nervos, rare inspersa. *Rami* axillares, alterni, ut plurimum solitarii, simplicissimi, plerumque pari foliorum ad basin. *Flores* ad basin ramorum 3 — 5; superiores bini solitariique, omnes per intervalla calycibus duplo longiora remoti. *Bracteae* lanceolato-acuminatae, calyce triplo breviores et angustiores, ciliatae, subinde connato-bifidae. *Calyx* 5-fidus, laciniis 3 brevioribus, lineari-subulatis, parum ultra lineam longis, 2 majoribus (supremâ et infimâ) spathulatis, mucronatis, 2 fere linearum, subinde lineam latis, omnibus hirsutis, ciliatis. *Corolla* (quae rubra videtur fuisse) 4 — 5 lin. longa, tubulosa, sub fauce parum inflata, pilosiuscula, laciniis stamina pistillumque excedentibus, basi subglobosa, minus bene conservata, quam ut describi possit. *Filamenta* hirsuta; *antherâ* singulum geminâ, nutante, muticâ. *Stylus* filiformis, filamentis longior; *stigmate* simplicissimo. *Capsulae* (in nostra immaturae) obovato-turbinatae, acumine brevi, hirsutulae. *Semina? Flores* plures videntur clandestini.

9.

4. *Anatherum Berterianum Spreng.*

Char. spec. A. paniculâ strictâ, calycibus masculis hermaphroditisque striatis ciliato-barbatis, rachi striatâ.

Patria: In Portorico et Guadeloupo. Bertero.

Descriptio. Specimen nostrum *Berterianum*, a clo *Balbis* communicatum nomine *Anatheri Berteriani Spreng. in litt.*, radice fibrosâ est, et, ut videtur, annuâ, licet genicula culmorum incrassata et approximata ad basin caulis bulbillos quasi sistere videantur. *Culmi* pedales et sesquipedales, ramosi, basi crassitie pennae corvi, vaginis emarcidis tecti, subflexuosi, dein erecti, glabri, striati, teretinsculi. *Vaginae* glabrae, laxae, striatae, altero latere fissae, et ultra geniculum superius proximum adscendentes. *Ligula* lanceolata, obtusa, lacera, ultra lineam longa. *Genicula* aequalia, glabra, fusca, circiter 6. *Folia* lineari-lanceolata, subulato-acuminata, rigidiuscula, utrinque glabra, nervosa, nervis 5-7 omnino glabris, laevibus, margine retrorsum scabra, 4—6 poll., 2—3 lin. lata. *Panicula* quinquepollicaris, rhachi triquetrâ, subflexuosâ, ad angulos scabra, uti rami subsimplices. *Flores* in ramis racemosi, alter subsessilis, alter in pedicello lineam fere longo, glabro, retrorsum scabro. *Flos* sessilis masculus, pedicellatus hermaphroditus, uterque cum neutro. Neuter rudimentum valvulae setiformis, undique piloso barbatae. *Calyx* masculi et hermaphroditi bivalvis; valvula exterior ovato-lanceolata, acuminata, extus striis 5, glabra, margine pilis lanatis albis longitudine fere ipsius valvulae, i. e. lineae unius vel parum ultra, corollâ parum longior; valvula interior tertiâ

fere parte brevior, lanceolata, striis 3; margine ciliata, uti exterior. *Corolla* utriusque bivalvis, membranacea, glaberrima, laevissima; valvula exterior ovata, acuminata; interior lanceolata, duplo minor. In specimine nostro flores nondum bene evoluti; hinc stamina et pistillà inclusa, seminis tantum rudimentum.

10.

5. *Anatherum caudatum Sieber.*

Char. spec. A. paniculâ spicatâ subcylindricâ elongatâ setosâ, rhachi glaberrimâ, ad angulos scabrâ. *Sieber Herbar. Martinic. Sect.* 1. *n.* 39.

Patria: In Martinica. Hortulanus cl. Sieber.

Descriptio. Specimina nostra frusta *culmi* bipedalia, vaginis foliorum involuti, striati, crassitie pennae corvi. Vaginae arctae, glaberrimae, striatae. *Ligula* margo pilosus. *Folia* linearia, basi plana, apice convoluto-subulata, rigida, pungentia, glauca, striata, glabra, margine retrorsum scaberrima, basi duas lineas lata. *Folium* supremum duas tertias paniculae involvens. *Panicula* pedalis, ramis pollicaribus appressis. *Rhachis* trigona, uti rami ad angulos scabri. *Flores* in ramis ramulisque sessiles et pedunculati, pedunculo vix lineam longo. *Valvulae calycinae* membranaceae, diaphanae, margaritaceae, subaequales, glaberrimae, lanceolatae, acuminatae, enerves, carinâ basi scabrâ. In calyce singulo flosculi 2; alter neuter, pedunculus incrassatus, apice setis 30 et ultra, trium linearum et ultra:

albidis, subinde purpureo-livescentibus, scabris; alter hermaphroditus, valvulâ corollinâ exteriore ovatâ, vix lineam longâ, subquinquenervi, apice aristis 12—15 scabris, ut plurimum albidis, rarius purpurascentibus, 3—4 linearum, inaequalibus; interiore ovato-lanceolatâ, apice acuminatâ, bifida. Nec stamina nec pistilla (nisi hujus vestigium) in speciminibus nostris defloratis supersunt. *Semina* ovata, sulcata, glaberrima, diaphana, nuda, dilute fuscescentia, vix $\frac{1}{3}$ lineae. Subinde fasciculus setarum neutrum inter et hermaphroditum occurrit.

11.

6. *Arundo occidentalis Sieber.*

Char. spec. A. culmo erecto folioso, foliis strictis, paniculâ ramosissimâ contractâ, spiculis subquinquefloris.

Patria: In Martinica legit Ds. Kohaut.

Descriptio. Specimina in *Herb. martinic. Di Sieber Sect.* 1. n. 31. paniculae tantum cum folio supremo easdem vaginante. *Culmus* ad paniculam usque vaginatus, et sub hac adhuc crassitie pennae cygneae, striatus, glaber, uti vagina profundius striata. Ligula nonnisi margo membranaceus, brevis, tenuissime crenulatus. *Folium* supremum sesquipedale, lineare, rigidum, basi planum, 4—5 lineas latum, apice convoluto-subulatum, in setam rigidam, longam, pungentem attenuatum, supra glabrum, striato-nervosum, subtus punctulis minimis elevatis intra nervos sca-

brum, margine tenuissime serrulatum, ut parum scabrum sit. *Panicula* sesquipedalis et ultra, ramis semipedalibus, et ultra. *Rami* ramulique angulati, glabri, ad angulos scaberrimi, plus minus flexuosi. *Spiculae* nunc subsessiles, nunc in pedunculis 3 — 4 linearum, apice incrassatis, scabris, racemosae, solitariae, ovatae et ovato-oblongae, acutae, nunc uniflorae, lineam parum excedentes, steriles; nunc lineas tres longae, 3- et 5-flosae. *Calyx* biglumis, flosculis nunc duplo, nunc triplo brevior, glaber, glumis inaequalibus: gluma exterior parum ultra lineam longa, ovata, concava, obtusiuscula, diaphana, apice vix bifida, trinervis, nervis 2 lateralibus vix ultra medium apicem versus excurrentibus, margine membranacea, glaberrima, integerrima; interior nunc parum, nunc duplo fere longior, ovato-lanceolata, obtusa, trinervis, nervis ad apicem fere excurrentibus. *Corollae* flosculi infimi valvula exterior oblongo-lanceolata, compressa, membranacea, trinervis, nervis ad apicem obtusiusculum usque excurrentibus, interdum subquinqnervis, carinâ scabriscula; valvula interior sextuplo minor et ultra, margaritacea, pellucida, ovata, vix dimidiae lineae, antheras involvens: utraque valvula in hoc flore perfectissime nuda; subinde et valvula interior deest, ut sterilis sit flosculus. Valvula corollina exterior flosculi secundi (superioris) valvulâ exteriore flosculi primi parum longior angustiorque, magis convoluta, tenuior, trinervis et 5-nervis, bifida, carinâ scabriuscula; valvula in-

terior sextuplo minor, lanceolata, acuta, pellucida. Fasciculis pilorum sericeorum, tenuissimorum, candidorum, valvulâ exteriore parum breviorum ad basin flosculi hujus et superioris tertii nascitur, qui omnino, ut etiam quartus et quintus, secundo similis, sed omnibus tenuior et angustior, similique fasciculo pilorum stipatur. *Antherae* lineares, utrinque bifidae, ultra valvulam corollae interiorem non emergentes. *Styli* brevissimi. Pars maxima florum uniflora, et, ut videtur, sterilis.

Pr. Dr. J. A. Schultes.

12.

1. *Cytisus virgatus Vest.*

Char. spec. C. caule virgato erecto, floribus axillaribus pedunculatis approximatis horizontalibus subsecundis ebracteatis, vexillo edentulo, calyce trifido, foliolis oblongis, pilis foliorum patentibus.

Habitat in collibus prope Graz e. g. circa Platten, Neuhold, Weingarten, Maria Trost &c.

Floret Junio, Julio; Fructus maturant Septembri. ♄.

Descriptio. Radix lignosa, subdivisa, plerumque caulem solitarium edens. *Caulis* pedalis, imo bi-tripedalis, plerumque simplex, etiam subramosus, erectus, pilosus: pilis patentibus. *Ramuli* juniores, petioli, et folia inexplicata, pilis imbricatis albens, sed explicatis parti-

bus semper patent, et sensim cadunt. Foliola ovato-oblonga, obtusiuscula. Longitudo petioli vix major illa foliolorum, sed inconstans, nam senescente planta pauco elongantur petioli. *Flores* generis, flavi, magni, pollicares et majores, bini, terni, pedunculati, e gemma foliifera prodeuntes, horizontales, praecoces aut saltem coaetanei, omnes laterales, nulli, nec serius terminales. Copiosi sunt et sibi approximati, saepe secundi, et caulis talis florens eminus speciosum florum thyrsum exhibet, si adultus est. *Pedunculi* plus minus longitudine calycis, villis patulis albidi, ut calyx qui, de more, bilabiatus est. *Labium* inferius (carinale) indivisum, acutum, superius latum, bifidum: labiorum margo tenue et dense ciliatus. *Corolla* affinium. *Stamina* monadelphâ. *Germen* sericeum. *Legumen* hirsutum.

Critica. A. C. *ciliato Wahl.* (flor. carpath.) differt: floribus copiosis lateralibus, germinibus leguminibusque hirsutis. A. C. *capitato*: defectu florum terminalium. *Cytisus supinus* caulem habet prostratum, et si forte hic solo feliciori parum erigitur, saltem ramos horizontales et deflexos, et in omnibus partibus pubem appressum. C. *falcatus Willd. Kitaib.* gaudet floribus solitariis, subsessilibus, alternis, subremotis, erectis; convenit tubo carinato, indiviso. C. *biflorus W. K.* habet flores axillares, subsessiles, subbinos, foliis fere longiores, labium carinale calycis trifidum, petiolos foliolis longiores, sed hae vix magnitudinem calycis habent. C. *elongatus Wald.*

et *Kit.* vero proxime accedit ad nostram, etsi non habitu, tamen notis, sed stirps hungarica floret foliis gemmae floriferae jam explicatis, (nostra praecocius ut C. supinus) pedunculos habet breves, calycis labium carinale trifidum, vexilli limbo subtus ad unguis ortum utrinque dente instructo, (nec integerrima edentula), caulem altum, basi crassum, in longos ramos divisum, qui floribus numerosis onusti, fere decurrantur. C. *hirsutus L. est frutex humanae* altitudinis et vix hujus generis; ad *Laburnum* potius spectat ob calycem companulatum breviorem nec tubulosum.

Prof. Dr. L. v. Vest.

Thlaspi montanum Linn., praecox Wulfen et alpinum Jacq.

Cl. *Decandolle* in egregio opere, systemate naturali, T. 2. p. 379. tres *Thlaspeos* species, T. montanum scilicet, praecox et apinum in unam speciem conjunxit, dubie tamen, ut ex annotatione adjecta apparet: „has duas varietates cum „specie Linnaeana post iterata examina conjunxi; „ad hanc sententiam jam motus ex eo quod plu„rimi et gravissimi botanici saepissime eas confude„runt et quod cl. *Wahlenberg* ex autopsia in „solo natali declaraverat, se nullum inter has „stirpes discrimen vidisse, ultima (T. alpinum) „tamen est forsan separanda.“ Ex memoratis specieb unicam tantum vivam observare mihi li-

cuit, reliquae e speciminibus siccis, ab amico *Hoppe* communicatis, mihi innotuerunt. Verum accuratiori indagatione instituta tam varia discrimina inveni, ut amplius non dubitaverim, quin revera specie differant nec varietates solum exhibeant. Quapropter et definitiones et descriptiunculas ad specimina sicca elaboratas hic proponam, sperans fore ut ad novum earum specierum examen botanici germani eo excitentur.

Inter enumeratas species T praecox *Wulfeni*, si florum magnitudinem excipias, sane majorem affinitatem cum T. alpestri quam cum T. montano et alpino habet. Conveniunt illae radice dense caespitosa, nec ullo modo stolonifera; ad radicis coronam scilicet plures foliorum rosulae brevissimis cauliculis insidentes collocantur, nec serius hi cauliculi manifeste elongantur. Hae vero, jam primo, ut videtur anno, cauliculos stoloniformes bi-tripollicares terrae incumbentes agunt, quorum apici rosulae imponuntur. Cavendum tamen est, ne singulos stolones cum sua foliorum rosula, partem plantae, quales saepius in herbariis occurrunt, pro integris sumas, et sic stolonem pro radice habeas. Caeterum et quatuor hae species aliis notis differunt, ut ex sequentibus patebit.

13.

1. *Thlaspi alpestre Linn.*

Char. spec. T. Foliis subintegerrimis, radicalibus obovatis petiolatis, caulinis ovato-oblongis basi cordata amplexicaulibus, staminibus co-

rollam aequantibus, siliculis triangulari-obcordatis 8 — 12-spermis, stylo lobos siliculae aequante, radice caespitosa.

Syn. T. alpestre Linn. Sp. pl. 903. *Decand. Syst. nat.* 2. 380. *exclus. Syn. Gmel. fl. bad. ad varietatem pumilam T. perfoliati spectante.*

T. caerulescens Presl. Cech. 133.

T. montanum Poll. Palat. 2. 213.

Descriptio. Radix fusiformis, interdum ramoso-fibrosa, rosulis foliorum in caespitem unitis coronata; cauliculi rosulas gerentes brevissimi, vix ulli, nec serius elongati. *Caules* plures simplicissimi. *Folia* glaucescentia, integerrima, rarius uno alterove denticulo obsoleto notata; radicalia petiolata, obovata vel oblongo-obovata: caulina ovata vel ovato-oblonga basi cordata, auriculis rotundatis amplexicaulia. *Pedunculi* siliculam maturam aequantes. *Flores* minuti, magnitudine florum arvensis. *Petala* obovato-cuneiformia, versus basin sensim attenuata, calycem interdum aequantia, in nostris regionibus eodem saepe duplo longiora, alba vel cum calyce caerulescentia. *Stamina* longitudine petalorum. *Antherae* purpureae vel violaceae. *Silicula* triangulari-obcordata, basin versus attenuata, marginibus rectiusculis. *Stylus* porrectus quidem, sed silicula sexies brevior et vix ultra siliculae lobos prominens. *Semina* 6 — 12.

Critica. Pollichii synonymon huc nec ad T. montanum spectare ex verbis ejusdem luculen-

ter apparet, flosculos enim parvos dicit magnitudine fere T. arvensis et filamenta cum antheris ultra petala eminentia. Locus natalis quoque convenit.

Observ. Floribus minutis, staminibus petala aequantibus et antheris violaceis statim dignoscitur.

14.

2. *Thlaspi praecox Wulfen.*

Char. spec. T. foliis denticulatis, radicalibus obovatis petiolatis, caulinis oblongis subsagittato-amplexicaulibus, staminibus corolla dimidio brevioribus, petalis cuneiformibus, siliculis triangulari-obcordatis 4-spermis, stylo porrecto siliculam dimidiam aequante, radice caespitosa.

Syn. *T. praecox Wulf. in Jacq. collect.* 2. 124. *t.* 9.

T. montanum. β. *Willd. Sp. pl. T.* 3. *p.* 445. — *Dec. Syst. nat.* 2. 380.

T. alpinum Crantz. Austr. 1. 23. *t.* 3. *f.* 1. *(sec. Decand.)*

Descriptio. *Radix* ut in antecedente specie. Foliorum rosulae caespitosae, brevissimis cauliculis insidentes. *Caules* plures simplicissimi. *Herba* tota eximie glauca. *Folia* radicalia petiolata, obovata, vel oblongo-obovata, remote denticulata, subtus saepe intense purpurea; caulina oblonga, vel oblongo-lanceolata, longiora et

angustiora, quam in speciebus confinibus, minute denticulata, rarius integerrima, basi subsagittata, auriculis paulo longioribus et acutioribus quam in praecedente specie. *Pedunculi* siliculam aequantes. *Flores* speciosi albi. *Calycis* foliola oblonga. *Petala* obovato-cuneiformia, obtusissima, versus basin sensim attenuata. *Stamina* petalis evidenter, plerumque dimidio breviora. *Antherae* flavae. *Siliculae* (in meis speciminibus nondum perfecte maturae) triangulari-obcordatae. *Stylus* porrectus silicula dimidia longior, an semper? an in fructu maturo? *Semina* 4.

Critica. A *T. alpestri* differt: herba magis glauca, foliis crebrius denticulatis, caulinis magis sagittatis, floribus duplo triplove majoribus, staminibus corolla brevioribus, antheris luteis, et stylo longitudine dimidiae siliculae. — A. T. *montano et alpino* discrepat: radice caespitosa nec stolonifera, herba (ut videtur) magis glauca, foliis crebrius denticulatis, caulinis plerumque angustioribus, longioribus, calycis foliolis oblongis, petalis conspicue angustioribus, obovato-cuneiformibus, versus basin sensim attenuatis, nec e lamina ovata subito in unguem angustatis.

Crantzii Strip. austr. nunc conferre nequeo. — An T. *montanum Scop.* Carn. 2. n. 811. ad hanc vel ad aliam affinium specierum referendum sit, ob nimis brevem descriptionem extricari non potest. — *Wulfenii* descriptio et icon cum nostris speciminibus exacte congruit.

15.

3. *Thlaspi montanum Linn.*

Char. spec. T. foliis subintegerrimis, radicalibus obovatis petiolatis, caulinis ovato-oblongis subsagittato-amplexicaulibus, staminibus corolla dimidio brevioribus, petalis obovatis retusis, siliculis obcordatis 4-spermis, stylo porrecto dimidiam siliculam subaequante, caulicul is stoloniformibus.

Syn. T. *montanum Linn. Sp. pl.* 902. *Jacq. Austr. t.* 237. *Decand. Syst. nat.* 2. *var. etc. excl. Syn. Poll. Palat.*

Descriptio. Radix fusiformis, multiceps. *Cauliculi* pollicares, bi-tripollicares, humifusi, tenues, filiformes, nudi, stoloniformes, non raro in unum alterumve ramum divisi, ad ramorum ortum saepe radiculis instructi, apice foliorum rosula terminati, e quibus caules emergunt. *Folia* glaucescentia; radicalia petiolata, obovata, vel oblongo-obovata, obtusa, interdum acutiuscula, integerrima, rarius uno alterove denticulo exiguo instructa, subtus subinde purpurascentia; caulina ovata, vel ovato-oblonga, auriculis rotundatis amplexicaulia, subsagittata. *Pedunculi* siliculam subaequantes. *Flores* speciosi albi. *Calycis* foliola ovata. *Petala* late obovata, obtusissima, utplurimum retusa, abrupte in unguem brevem acuminata. *Stamina* petalis evidenter, plerumque dimidio breviora. *Antherae* flavae. *Pedicellus* silicula saepe longior. *Siliculae* obcordatae mar-

ginibus arcuatis. *Stylus* porrectus, dimidiam siliculam fere aequans, saepe superans. *Semina* 3—4.

16.

4. *Thlaspi alpinum Jacq.*

Char. spec. T. foliis subintegerrimis, radicalibus obovatis petiolatis, caulinis ovato-oblongis subsagittato-amplexicaulibus staminibus corolla dimidio brevioribus, petalis obovatis rotundo-obtusis, siliculis oblongo-obcordatis 6-spermis, stylo porrecto silicula quadruplo breviore, cauliculis stoloniformibus.

Syn. *T. alpinum Jacq. Austr. t.* 238.

T. montanum γ. Decand. Syst. nat. 2. 380.

Iberis rotundifolia Sturm D. Fl. Heft 20. *fructus, nec caules florentes.*

Descriptio. Antecedenti speciei valde simile, sed pluribus notis adeo diversum, ut omnino propriam speciem constituere videatur. *Folia* caulina basi profundius cordata, auriculis paulo longioribus caulem amplectuntur. *Petala* apice rotundata, nec retusa. *Pedunculi* silicula breviores. *Siliculae* oblongo-obcordatae, multo longiores sed non latiores, versus basin magis attenuatae, saepe 6-spermae; *Stylo* ratione longitudinis siliculae breviore, vix quartam ejus partem attingente, coronata.

Critica. Specimina nostra hujus et antecedentis speciei cum descriptionibus et iconibus *Jacquini* exacte conveniunt. Caeterum optandum est,

ut botanici alpinas regiones investigaturi plantas hasce in statu vivo denuo examinare velint et observare, an quaeque hic ex speciminibus siccis paucioribus proposui, constanter sic reperiantur.

Dr. Koch.

17.

Eryngium Tournefortianum Sternbg.

Char. spec. E. foliis nervosis petiolatis: radicalibus ovato- et lineari-lanceolatis spinuloso-dentatis: caulinis tripartitis, involucri foliolis 8 — 10 lanceolatis mucronatis, paleis tricuspidatis, capitulis globosis. S.

Syn. *Eryngium* orientale foliis trifidis *Tournef. coroll. p.* 23.

Patria: *Graecia*, in insula Creta, unde itinerator indefessus cel. *Sieber* semina matura attulit e quibus duae quae in horto nostro floruerunt plantae enatae sunt, quorum semina autem non perfecerunt. ♃.

Descriptio. *Caulis* pedalis, flexuosus, striatus, viridis. *Folia radicalia* aliqua brevius petiolata, ovalia, longe petiolata, lineari-lanceolata; *caulina* ad petiolum usque tripartita; *floralia* sessilia, spinuloso-dentata, nervosa: nervis ramosis. *Petioli* in vaginam caulem semiamplectentem terminati. *Capitula* subrotunda, albida, pedunculata: pedunculi primi alterni; sequentes oppositi, brachiati, terminales. *Involucra* 8 — 10-

phylla: foliola lanceolata, trinervia, in spinulam terminata, capitulo longiora. *Paleae* tricuspidatae seu trispinosae, rigidae, capitulis longiores. *Calyx* ad basin squamis tectus, laciniae limbi oblongae, margine membranaceo, nervo medio albo in spinulam desinente. *Corolla* calyce paulo longior; *petala* oblonga apice obtusa, vix emarginata, alba.

Critica. Differt ab *Eryngio trifolio Prosp. Alpini exot.* p. 152. (E. ternat. *Poir.* cum quo Syn. *Tourn.* conjunxerunt *R.* et *Sch.* Syst. veg. vj. p. 319.) quantum ex icone et descriptione succincta *Alpini* conjecturare licet: Foliis radicalibus duplo latioribus spinuloso-dentatis, quae *Alpino* dicuntur folia longa, tenuia, Holostei foliis similia, et integerrima delineantur, caule valido non gracili, capitulis pluribus albis nec totis purpureis duobus aut pluribus, non foliolis oblongis circumdatis sed involucris lineari-lanceolatis, cetr. Planta *Alpini* quoad folia cum *Tournefortiana* multam affinitatem habere videtur, sed inflorescentia cum icone comparata ex toto diversa est. Locum natalem quidem non indicat, sed pleraeque suae plantae exoticae cretenses sunt, praesertim primi libri, nihil vero obstat duas species *Eryngiorum* in Creta cohabitare posse.

Comes Casp. de Sternberg.

Species nonnullas novas e Barbularum genere exhibet C. F. Schultz, M. D.

Cum farraginem specierum, quae dicto generi dicatae sunt, pervestigarem, numerosas quidem varietates reperi ad suas species denuo reducendas, at vero nonnullas quoque observavi a reliquis, quae mihi saltem notae sunt, diversas species; has praevia delineatione botanophilis indicare meum putavi, insimul vero muscologos rogatos habere volui ut suas quasque *Barbularum* species, vel novas iis visas vel dubias atque incertas, mecum humane communicare velint gratissima mente accipiendas.

18.

1. *Barbula fastigiata Schultz.*

Char. spec. B. caule dichotome-ramoso, ramis fastigiatis, foliis ovato-lanceolatis acuminatis apiculatis carinatis subundulatis, margine planis erecto-patentibus, theca oblonga, operculo subulato.

Patria: Germania, ex alpibus pauca specimina adportavit cel. *Hornschuch,* locum natalem non memorans. ♃.

Descriptio. Caules debiles, sesquiunciales, dichotomi, seu repetito-ramosi. *Folia* pallide-lutescentia, ex ovata vaginante basi acuminata, flaccida, basin versus undulata l. repanda; caulina dissita varie patentia, ramorum confertiora, erecta, perichaetialia subulato-acuminata. *Seta*

respectu brevis e ramis superioribus lateralis. *Theca* grandiuscula, oblonga. *Operculum* non visum, quoad peristomium vero in longum funem contortum, subulatum est et thecam longitudine subaequans.

19.

2. *Barbula microcarpa Schultz.*

Char. spec. B. caule elongato diviso, foliis ovato-lanceolatis acutis apiculatis, margine subplanis patulis, apicibus recurvis, theca ovata, operculo conico subelongato.

Patria: Germania, in argillosis Ducat. Megapol. Stargardiensis. ♃.

Descriptio. Species inter *Barbulas* unguiculatam et apiculatam quasi media. *Caules* conferti, stricti, vix unciales, divisi, nonnunquam ramosi. *Folia* subimbricata, ex ovata vaginante basi lanceolata, brevia, acutiuscula, inde longe apiculata, patentia, apicibus subrecurvata, vix basin versus margine reflexa; perichaetialia paululum acuminata, intense viridia. *Seta* tenuis, subflexuosa. *Theca* brevis, ovata, nonnunquam fere turbinata, fusca. *Operculum* conicum, elongatum, theca fere longius.

20.

3. *Barbula Hornschuchiana Schultz.*

Char. spec. B. caule tenui subramoso, foliis ovato-lanceolatis acuminatis acutissimis, mar-

gine revolutis erecto-patulis, theca oblonga, arcuata, operculo conico-subulato.

Syn. B. revoluta *Schultz* Flor Stargard. Suppl. I. 69. (excluso synonym. *Schwaegrichenii.)*

Patria: Germania, in collibus arenosis apricis Duc. Megapol. Stargard. ♃.

Descriptio. Caules tenues, erecti; fructiferi divisi, luteoli, 3—4 lineares; steriles ramosi, subunicales, laete virides. *Folia* subimbricata, ex ovata basi acuminata, marginibus ad ipsum apicem usque revoluta, nervo fusco haud ita crasso percursa, erecto-patentia, nonnunquam apicibus recurvata; perichaetialia fere in subulam attenuata, basi vaginantia, subpellucida. *Seta* tenuis, subflexuosa, e caulis dichotomia, vaginula atrofusca obconica. *Theca* ovato-oblonga, arcuata, nigrescens. *Operculum* conico-subulatum theca brevius.

Critica. Persimilis est haec species B. *revolutae Schwaegr.* (Hedw. Spec. Musc. Suppl. I. 127. t XXXII) et cum ea facile commutari potest; ipse plantas confudi antequam genuinam B. revolutam e speciminibus vivis novi; at jam tunc (l. c.) quomodo a *Schwaegricheniana* mea differat, mutata diagnosi indicavi.

21.

4. *Barbula Funckiana Schultz.*

Char. spec. B. caule gracili subramoso, foliis ovato-lanceolatis acutis carinatis, margine planis erecto-patulis, theca oblonga arcuata, operculo subulato.

Patria: Germania, in alpibus Salisburgensibus, unde misit Amiciss. *Funck*, specialiora non memorans. ♃.

Descriptio. Caules cespitosi, radiculis dense implexi foliisque emarcidis inferne tecti, gracilescentes; fructiferi simplices; steriles subramosi, semunciales et paulo longiores. *Folia* erecta, apicibus patula, pallide flavescentia; inferiora rufescentia, brevia, ovata, acuta; superiora ovato-lanceolata, nec apiculata nec mucronata; perichaetialia longius acuminata, patentia. *Seta* tenuis, flexuosa, dilute purpurea, 6 — 8 lineas longa; vaginula atropurpurea; theca brevis, oblonga, obliqua, saepe in modum *Barbulae inclinatae* arcuata, praesertim in statu sicco, colore dilute fusca. *Peristomium* purpureum. *Operculum* subulatum, thecam fere aequans longitudine.

Dr. Schultz.

Diagnoses nonnullorum novorum Generum et Specierum plantarum, quae in fasiculis 1 — 5 Collectaneorum botanicorum a John Lindley editorum, descriptae et delineatae sunt. — Communicavit Dr. Hornschuch.

22.

1. *Bromelia fastuosa Lindl.*

Char. spec. B. foliis ciliato-spinosis acuminatis mucronatis, racemo rigido composito,

racemulis indivisis, floribus sessilibus, bracteis inferioribus linearibus subsecundis. ♃.

Trizeuxis Lindl.

Char. gen. *Perianthium* bipartitum; lacinia superiore biloba; inferiore tripartita, inflata. *Labellum* columnae parallelum, limbo recurvo dilatato. *Stigma* excavatum. *Anthera* unilocularis, carnosa; *pollinis* massae 2, pedicello fusiformi carnoso adhaerentes, ipsis duplo longiori.

Arboribus parasiticae. *Folia* pauca, disticha. *Racemi* compositi. *Flores* non resupinati.

23.

2. *Trizeuxis falcata Lindl.*

Char. spec. T. foliis falcatis enervibus, floribus confertis. ♃.

Rhaphiolepis Lindl.

Char. gen. *Calyx* infundibularis, 5-dentatus, deciduus. *Filamenta* filiformia. *Ovarium* 2-loculare. *Pomum* disco incrassato clausum, endocarpio chartaceo. *Semina* 2, gibbosa. *Testa* coriacea crassissima.

Frutices (Chinae). *Folia* sempervirentia, crenulata, coriacea, reticulata. *Racemi* terminales, saepe bracteis persistentibus squamosi. *Lindl.* in Bot. Reg 6. 468.

24.

3. *Raphiolepis rubra Lindl.*

Char. spec. R. foliis ovato-lanceolatis utrin-

que acuminatis; petalis lanceolatis; staminibus rectis calyce brevioribus. ♄.

Syn. *Crataegus* rubra. *Lour.* Fl. Cochinch. 320?

Pilea Lindl.

Char. gen. *Flores* monoici. ♂: *Calyx* 4-partitus membranaceus. *Stamina* 4 elastice dissilentia. ♀: *Calyx* 3-phyllus, sepalo altero gibboso carnoso. *Stigma* sessile, fimbriatum. *Achenium* deciduum.

Herbae v. Suffrutices, demissae (Indiae occidentalis). *Folia* glabra, carnosa, transversim rugosa, exstipulata. *Flores* axillares; masculi pedunculati, subsolitarii; foeminei capitati, involucrati, persistentes.

25.

4. *Pilea muscosa Lindl.*

Char. spec. P. caulibus herbaceis caespitosis, capitulis solitariis, foliis obovatis glaberrimis. ♃.

Syn. *Parietaria* microphylla *Linn.* Sp. pl. 1492. *Urtica* microphylla *Swartz. Willd.*, *Parietaria* prostrata Hort. berol. *Spreng.* in novi provent. p. 30.

Pterospora Nuttal.

Char. gen. *Calyx* 5-phyllus. *Corolla* monopetala ovata 5-dentata. *Stamina* 10. *Antherae* calcaratae. *Capsula* umbilicata 5-locularis 5-valvis. *Semina* apice alata.

Herba brunea, viscido-hirsuta. *Folia* squamiformia. *Flores* racemosi. *Lindl.*

26.

5. *Pterospora Andromedea Nutt.*
Gen. 1. 269.

Vanda Br.

Char. gen. *Labellum* calcaratum, cum basi simplici (breviusve producta). Columnae apterae continuum trifidum, lobo medio carnoso. *Petala* patentia distincta. Massae pollinis 2, oblique bilobae. *Brown in Bot. Reg.* 506.

27.

6. *Vanda teretifolia Br.*

Char. spec. V. foliis teretibus, perianthii laciniis interioribus brevioribus. ♃.

28.

7. *Primula sinensis Lindl.*

Char. spec. P. calycibus inflatis 10-dentatis, corollis crenato-incisis.

29.

8. *Amaryllis Solandraeflora Lindl.*

Char. spec. A. 2—4 flora, perianthio infundibulari subregulari, tubo gracillimo intus nudo limbo multo longiore, stigmate obtuse-trilobo. ♃.

Astrapaea Lindl.

Char. gen. *Flores* umbellati, involucrati. *Involucrum* duplex, exterius 2-phyllum interius polyphyllum. *Calyx* simplex, 5-phyllus, 1 bracteatus. *Petala* 5, convoluto-clausa

Stamina 25, in tubo corollifero connata, quorum 5 sterilia. *Ovarium* 5-loculare, oligospermum. *Stylus* 1. *Stigmata* 5.

30.

9. *Astrapaea Wallichii Lindl.*

Syn. Pentapetes speciosa *Wall.* in Litt.

31.

10. *Angraecum maculatum Lindl.*

Char. spec. A. foliis lanceolatis maculatis planis integerrimis.

32.

11. *Cephaelis calycina Lindl.*

Char. spec. C. capitulis axillaribus subsessilibus, involucro folioso floribus breviore, calice maximo infundibulari irregulari.

33.

12. *Papaver bracteatum Lindl.*

Char. spec. P. petalis quinis, capsulis glabris obovatis bracteis persistentibus involucratis, sepalis pilosis, caulibus unifloris scabris foliosis, foliis pinnatipartitis hispidis, lobis oblongis serratis.

Dr. Hornschuch.

De plantis quibusdam Africanis Commentariolus. Auctore F. de Schrank.

Capenses plantas plures collegerunt, pauciores descripserunt. Quum itaque *J. Brehmius*,

Bambergensis, qui in interiora Promontorii Bonae Spei iter instituit, magnam harum plantarum copiam mihi miserit, non ingratum Botanicis futurum reor, si quasdam meas in illas observationes hisce pagellis committam. Plantae quidem ipsae jam olim in systema relatae sunt, verum in tantillo observatorum numero non superfluum in se laborem susceperit, qui anteriores observationes aut corrigendas aut confirmandas sibi sumserit.

34.

1. *Artemisia afra Jacq.*

Char. spec. A. foliis pinnatis: pinnis pinnatifidis, supra calycibusque tomentosulis, subtus tomentosis, panicula terminali foliacea secunda, floribus nutantibus. ♄.

Syn. Artemisia afra. Willd. spec. III. p. 1820. *n.* 12.

Descriptio. Planta tota canescit, foliorum tamen pagina superior satis viriditatis retinet. *Folia* in tenues lacinias secta, vere pinnata, pinnis oblongis, pinnatifidis (siccis margine revolutis). *Panicula* terminalis, fere pyramidalis, foliis interstincta. *Floribus* omnibus secundis, nutantibus, hemisphaericis.

35.

2. *Aster fruticulosus L.*

Char. spec. A. foliis linearibus subfasciculatis glabris, pedunculis unifloris folia longe excedentibus, floribus hemisphaericis. ♄.

Syn. Aster fructiculosus. Willd. spec. III. p. 2018. *n.* 14.

Aster hypericifolius. Berg. cap. p. 287.

Descriptio. Pedunculi ultra duos pollices metiuntur, quum ramuli, ex quibus oriuntur, vix dimidium aequent.

36.

3. *Aster reflexus L.*

Char. spec. A. foliis ovatis subimbricatis recurvis, petiolo complanato adnatis, spinuloso-serratis, floribus terminalibus solitariis. ♄.

Syn. Aster reflexus. Berg. cap. p. 285. — *Willd. spec. III. p.* 2015. *n.* 2.

Descriptio. Frutex inter minores certe non parvus. Ego nonnisi ramum possidere mihi videor, qui tamen solidum pedem aequet, in alios ramos subdividitur, et hi iterum in ramulos. *Habitus* diffusus, color cinereus. *Rami* ramulique teretes, dense et usque ad apicem foliis vestiti, fere imbricatis, nisi revoluta essent. *Folia* proprie petiolata, sed petioli plani sunt, toti adnati, unde ipsa folia sessilia evadunt; sunt vero circumscriptione ovata, circiter duas lineas aut paulo plus longa, in arcum revoluta, margine toto spinulis brevissimis distantibus ciliata, cum suis petiolis cinerea, unde plantae totius color cinereus; nam delapsis etiam foliis petioli adnati per modum epidermidis restant. Apici ramulorum *flos* unicus insidet; *calycis* squamae lanceolatae, coloratae. *Corollae* radius ruber.

37.

4. *Drosera cuneifolia Linn. fil.*

Char. spec. D. scapis radicatis pubescentibus paucifloris, foliis elongato-cuneatis hirsutis longe ciliatis. ⊙

Syn. Drosea cuneifolia. Linn. suppl. p. 188. *Willd. spec. I. p.* 1544. *n.* 3.

Descriptio. Radix geminata, filiformis, sed forma fili crassioris, ut perennis esse possit. *Folia* radicalia incumbentia, elongato-lineata, pollicaria, hirsuta, sed praecipue pilis herbaceis longis ciliata. *Scapus* spithameus, pubescens. *Flores* terminales: plerumque unicus, raro duo.

38.

5. *Drosera capensis Linn.*

Char. spec. D. scapis radicatis, racemo spicato, foliis elongatis linearibus, stipulis interfoliaceis lanceolatis exaridis. ⊙.

Syn Drosera capensis. Berg. cap. p. 81. — *Willd. spec. I. p.* 1545. *n.* 6.

Descriptio. Radix exilis; planta caulescit in rhizoma foliis quibusdam patentibus stipulisque exaridis lanceolatis stipatum, apice terminatum in folia longa, petiolata, elongato-linearia, erecta, margine (ut in genere) barbata, aliisque pilis, sed rarioribus, utramque paginam occupantibus. *Scapi* ex rhizomate orti, foliis duplo longiores, apice racemiferi, sed racemus spicaeformis. *Corolla* violacea. *Tubercula* in foliorum pagina postica sunt bases pilorum.

39.

6. *Drosera cistiflora Linn.*

Char. spec. D. caule subsimplici folioso, foliis oblongis sessilibus.

Syn. Drosera cistiflora. Willd. spec. I. p. 1546. *n.* 8.

Descriptio. Caulis fortasse non semper simplex est, vidi enim in aliquibus speciminibus quaedam ramorum primordia in axillis latitare; caeterum planta videtur annua, si radicem consideres fibrosam brevem. *Caulis* plerumque florem unicum gerit: vidi tamen etiam tres terminales. *Corolla* purpurea, basi atra.

40.

7. *Drosera indica Linn.*

Char. spec. D. caule folioso, foliis angustissime linearibus. ♃.

Syn. Drosera indica. Willd. spec. I. p. 1546. *n.* 10.

Descriptio. Caulis non semper ramosus est; in meo specimine simplicissimus, florem unicum in apice gerit. Contra, *radix* bipartita, ramo utraque filiformi.

41.

8. *Jacobaea glastifolia Schrank.*

Char. spec. J glabra; foliis caulinis amplexicaulibus lato-lanceolatis subdentatis: infimis petiolatis, orbicularibus, dentatis. ♃.

Syn. Senecio glastifolius. Linn. supplem. p. 372.

Descriptio. *Radix* gracilis, annua; sed planta repit, elevatusque ramis, unde proprie caule perennat. Rami sat graciles cum foliis glabri. *Folia* duum generum: inferiora petiolata, orbicularia, dentata; petioli graciles, pollicares; caulina lato-lanceolata, tantillum acuminata, omnino amplexicaulia. *Planta* terminatur saepius *panicula*, ita tamen, ut potius ramus in apice paniculatus evadat, et quivis ramulus flore solitario terminetur, unde et factum est, ut mihi ejusmodi panicula etiam tantum biflora occurrerit.

42.

9. *Osteospermum spinescens Willd.*

Char. spec. O. foliis linearibus integerrimis dentatisque, spinis ramosis. ♄.

Syn. Osteospermum spinescens. Willd. spec. III. p. 2365. *n.* 2.

Descriptio. Totus *frutex* tomento quasi pulverulento obductus est. *Folia* sessilia, circumscriptione linearia, sed alia integerrima, alia dentata: dentibus variae formae: aliis nempe ex margine nonnisi modice prominentibus et acutis plerumquē, aliis lacinias foliorum pinnatifidorum vere aemulantibus et obtusiusculis. Praeter *spinas* ramosas, quae proprie ramuli sunt, vidi etiam simplices, foliaceo-dentatas, et hae ex foliis ortae videntur.

43.

10. *Osteospermum rigidum Aiton.*

Char. spec. O. foliis in dentes patentes lanceolatos acuminatos pinnatifidis pilosis, floribus corymbosis terminalibus. ♄.

Syn. Osteospermum rigidum. Willd. spec. III. p. 3367. *n.* 6.

Descriptio. Fruticulus, ut videtur, tener, diffusus; certe rami, quos coram habeo, filiformes, graciles. *Folia* in dentes plerumque quinque, subinde in plures, subinde in pauciores secta, remotos ab invicem, sed praeter terminalem plerumque oppositos, omnes lineari-lanceolatos, argute acuminatos, pilosos, rachi ipsa praeter dentem, quo terminatur, lineari. *Flores* parvi, corymbosi, flavi.

44.

11. *Othonna pectinata Linn.*

Char. spec. O. foliis pinnatifidis tomentosis: laciniis linearibus, obtusis: pluribus uno margine dentatis plerumque apicem versus latescentibus, pedunculis elongatis unifloris. ♄.

Syn. Othonna pectinata. Willd. III. p. 2374. *n.* 10.

45.

12. *Othonna abrotanifolia Linn.*

Char. spec. O. foliis stipatis multifido-pinnatis: laciniis rachique anguste linearibus antror-

sum directis argute acutis, pedunculis longissimis unifloris, ramificationibus junioribus lanatis. ♄.

Syn. Othonna abrotanifolia. Willd. spec. III. p. 2375. *n.* 12.

Descriptio. Pedunculi proprie terminales, longissimi, uniflori, atque, uti veris pedunculis convenit, aphylli, sed planta ipsa perpetuo prolifera, hinc pedunculi passim ex axillis, quas ramuli inter se formant, provenire videntur. Exortus novorum ramulorum (adeoque hae axillae rameae) densa lanugine obducuntur, planta de reliquo glaberrima. *Floris* habitus externus, qualis fere *Inulae* alicujus, disco facile semipollicari. *Pappus* in hac specie vere adest, et quidem copiosissimus, capillaris, cujus pars sursum erecta est, flosculi longitudine, pars reflectitur, seminis longitudine, sed caducus est.

46.

13. *Pharnaceum incanum Linn.*

Char. spec. P. pedunculis communibus longissimis, foliis linearibus pilo terminatis, stipulis exaridis in lacinias capillares laceris, floribus spurie umbellatis. ♄.

Syn. Pharnaceum incanum. Willd. spec. I. p. 1510. *n.* 10.

Descriptio. Caulis erectus; rami glabri, angulati. *Folia* sparsa, linearia, angustissima, levissime pubescentia, pilo terminata, subtus (sicca) sulco duplici inscripta, semipollicaria, stipulae

exaridae, albidae, ex basi lata in lacinias capillares, longas lacerae. In ramorum conjugationibus et folia et bracteae densissime solent aggregari, unde ibi praeprimis canities apparens ex virore foliorum et stipularum pallore mixtis exsurgit. Ex ejusmodi nodo in ramulorum apice etiam *pedunculi* longissimi, teretes, glabri oriuntur, apice umbellam spuriam ferentes, novo nempe glomere foliorum stipularumque insignes sunt, ex quo *pedicelli* (plerumque tres) oriuntur, quorum intermedius simplex et uniflorus est, laterales, illo longiores, varie dividuntur. *Flores* demum hujusmodi sunt: *Calyx* non proprie pentaphyllus, sed quinque partitus est, viridis, late albo-marginatus. *Corolla* nulla. *Stamina* cum calycis laciniis alternant. *Ovarium* ovatum. *Styli* tres, recurvi. *Capsula* trilocularis, polysperma.

47.

14. *Plantago hirsuta Thunb.*

Char. spec. P. foliis linearibus ciliatis, scapo obliquo dense piloso: pilis erectis, spica cylindrica. ♃.

Syn. Plantago hirsuta. Thunb. fl. cap. p. 55.

Descriptio. Radix repit. Basis herbae quendam quasi nodum format, inter residua foliorum primorum mortuorum et juniora lana densa evanescente, quae lana in adultioribus speciminibus evanescit.

48.

15. *Plantago Loefflingii Linn.*

Char. spec. P. foliis linearibus remote rectangulo-dentatis, scapoque patenti-hirsutis, spica laxiuscula, bracteis membranaceis viridi-carinatis. ☉.

Syn. Plantago Loefflingii. Willd. spec. I. p. 649. *n.* 25. — *Thunb. flor. cap. p.* 541.

Descriptio. Tota *planta* hirsuta, praeter flores; bracteae glabrae sunt, sed carina hirsuta. Aliqua *folia* sunt fere edentula.

Observatio. Vidi etiam varietatem foliis integerrimis, linearibus, scapis unifloris (duo enim erant scapi ex eodem rhizomate). Plantula erat minima, vix pollicaris.

49.

16. *Polypodium hottentottum Linn.*

Char. spec. P. frondibus bipinnatis: imis oppositis, pinnulis alternis pinnatifidis: laciniis inferioribus dentatis; frondibus sterilibus stipiteque glabris, fertilibus subhirsutis. ♃.

Syn. Polypodium tottum. Willd. spec. V. p. 201. *n.* 34.

50.

17. *Relhania paleacea Herit.*

Char. spec. R. ex tenui lanea pube canescens, foliis linearibus margine revolutis, subtus canis; floribus solitariis terminalibus sessilibus. ♄.

Syn. *Relhania paleacea.* *Willd. spec. III. p.* 2137. *n.* 11. *Leysera ericoides.* *Berg. cap. p.* 294.

Descriptio. Omnino habitus *Ericae;* tota *planta* incanescit ex pube lanea, quae subtus in foliis in verum tomentum, sed tenuissimum, abit; haec pubes et hoc tomentum subinde alba sunt. *Folia* linearia, margine revoluta, acutiuscula, circiter 4 lineas longa, satis stipata, ut in *Ericis.* Apice ramulorum insidet *flos; calyx* nec subglobosus nec turbinatus dici potest, sed est elliptois in axi transversa truncata; caeterum imbricatus est, squamis scariosis. Semina coronata coronula longiuscula, paleacea, tenui, arcte flosculo adpressa.

51.

18. *Rhus angustifolium Linn.*

Char. spec. Rh. foliis ternatis: foliolis anguste lanceolatis, utrinque attenuatis, subtus tenuissime tomentosis: omnibus petiolatis. ♄.

Syn. *Rhus angustifolium.* *Willd. spec. I. p.* 1484. *n.* 28.

Critica. Differt a *Rh. viminali* tomento in foliorum pagina inferiore, foliolis omnibus petiolatis, et paniculis axillaribus.

52.

19. *Rhus rosmarinifolium Vahl.*

Char. spec. Rh. foliis ternatis: foliolis sessilibus linearibus acutis revolutis, subtus ex to-

mento canis, racemis compositis terminalibus et axillaribus. ♄.

Syn. *Rhus rosmarinifolium.* *Willd. spec. I. p.* 1484. *n.* 29.

Critica. Differt a Rh. angustifolio foliis linearibus, angustis, margine revolutis, subtus quidem non ferrugineis, sed ex tenuissimo tomento canis, nervo tamen medio complanato et quasi alato, alisque his (in siccis speciminibus) ferrugineis; dein racemis compositis potius, quam veris paniculis, satis depauperatis (pro hoc genere); pedunculis circiter folii longitudine.

53.

20. *Zygophyllum sessilifolium Linn.*

Char. spec. Z. foliis quaternis sessilibus argute acuminatis deorsum attenuatis, petalis repandis, pedunculis unifloris. ♄.

Syn. *Zygophyllum sessilifolium. Linn spec. plant. p.* 552.

Descriptio. *Frutex* ramosus. *Folia* quaterna, erecta, lanceolata, acuminata, deorsum attenuata, carnosula, margine in planta viva vix scabra, in sicca levissime. *Pedunculi* solitarii ex axillis superioribus, foliis paulo longiores; quum quatuor axillae sint, quatuor *flores* expectandi sunt, sed plerumque ex una parte axillae duae floriferae, ex altera ramulus florifer oritur, qui oppositos flores supprimit. *Petala* lutea, non pro-

prie crenata, sed potius repanda, unde quaedam quasi crenae oriuntur.

Fr. de Schrank.

Reichenbach de Myosotide.

Char. gen. Cor. hypocrateriformis, 5-loba, explanata vel patula, fauce fornicibus instructa. *Nuculae* ovatae, basi leviter umbilicatae, superficie laevissimae. *Rchb.* amoen. bot. Dresd. specim. I.

Species Florae germanicae.

(Omnium descriptiones, synonyma, loci natales etc. cum iconibus insunt operi: *Sturm's Deutschlands Flora.* Heft 42.

Adnot. Pedunculus et stylus brevis — calyce dimidio brevior.

— — mediocris — calycem subaequans.

— — longus — calyce longior.

Praeterea adnotandum erit, neminem nisi cui specimina fructifera ad manum sint, Myosotidis species certo definire posse, nec calycis fructiferi rationem naturalem e siccis et compressis quidem speciminibus rite cognosci, quum calyx clausus compressione aperiatur. Notae specificae simplicissimae, foliorum variabilis forma omnino excluditur. Diagnoses ita comparatae sunt, ut facile in tabula analytica, dichotoma ratione disponantur.

A. Seminum margine crenulato.

54.

1. *M. nana Vill.*

B. Seminum margine laevissimo.

a. Corolla explanata.

α. Lobis emarginatis;

55.

2. *M. palustris With.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis emarginatis, calycibus fructiferis 5-dentatis (campanulatis), pedunculis mediocribus, caulis pubescentia patente.

Descriptio. Planta succulenta, in Oriente non obvia. *Caulis* quinquangularis. *Folia* lingulata, parum strigosa.

56.

3. *M. laxiflora Rchb.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis emarginatis, calycibus fructiferis 5-dentatis (abbreviatis), pedunculis longis, caulinis strigis sparsis (adpressis).

Descriptio. Haud dubie *M. palustris Rothii*, et plurium auctorum. *Caulis* elongatur, usque bipedalis, pentagonus. *Folia* anguste lanceolata, acuta, vix strigulosa, ut tota planta laetissime virentia. *Racemi* laxi, subflexuosi. *Corollae* in altera forma maximae, coelestinae, in altera parvae, subcyaneae. *Calyces* fructiferi fere hemisphaerico campanulati, pedunculis suis bis — ter breviores, obtuse dentati.

57.

4. *M. strigulosa Rchb.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis emarginatis, calycibus fructiferis 5-dentatis (campanulatis), pedunculis mediocribus, caule (adpresse) strigoso.

Descriptio. Folia angusta, siccatione canescentia, inferiora subtus retro-strigosa. *Caulis* tenax, basi lividus, quamquam in humidis, uliginosis crescit.

58.

5. *M. repens Donn.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis emarginatis, calycibus fructiferis 5-fidis, pedunculis longis, caulis pubescentia patente.

Descriptio. Planta saturate viridis. *Caulis* in solo certe uliginoso longe repens, in humoso fere fibrosa tantum. *Calyx* fructifer fere Thymi, 5-fidu snempe, dentibus adscendentibus. Huc *M. commutata R. S.*

β. Lobis integerrimis.

59.

6. *M. alpestris Schmidt.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis integerrimis, calycibus fructiferis irregularibus, racemis abbreviatis.

Descriptio. Planta simplex, humilis, villoso-pubescens. *Folia* plurima obtusa. *Calyx*

basi pilis uncinatis tectus. Jam cel. *Schmidt* hanc ipsam etiam e Salisburgo habuisse testatur, et eadem est a cel. *Hoppe* in Cent. plant. rar. olim vulgata, neutiquam inter recenter siccatas data, quae ad *M. suaveolentem* pertinet.

60.

7. *M. sylvatica Ehrh.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis integerrimis, calycibus fructiferis irregularibus, racemis demum longissimis.

Descriptio. *Calycis* pili basilares uncinati. Non minus vulgaris in planitiei nemoribus quam in montium sylvis.

61.

8. *M. cespitosa Schulz.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis integerrimis, calycibus fructiferis pilis calycinis caulinisque strigosis (adpressis).

Descriptio. *Caulis* a basi ramosus, debilis, ut *folia* lingulata glabriusculus, strigis certe minimis adspersus. *Racemi* longi laxi, pedunculi calycis fructiferi longi, hic fere 5-partitus, partitionibus lanceolatis. *Stylus* brevis. *Corolla* parva, pallida.

Observ. Nomen *M. lingulatae* serius ab auctore vix in melius mutatum, et aptius forte, si huic ipsi convenit, Schraderianum: *M. uliginosae.* Etiam in hac, quod de *M. repente* dictum est, radix pro solo natali vel repens vel fibrosa vel biennis vel perennis.

62.

9. *M. suaveolens Kit.*

Char. spec. M. corolla explanta, lobis integerrimis, calycibus fructiferis regularibus strigosis, pilis caulinis divergentibus.

Descriptio. Folia radicalia spathulata, caulina lanceolata, omnia saturate viridia, acuta. *Calyces* incano-strigosi. *Corollae* saturate coelestinae. Quum pilis calycis incurvis hanc distinxerint ill. R. et S. qui *M. lithospermifoliae* rectos tribuerunt, utramque vel fructum certe apud eos esse commutatum opinarer; habet enim semper planta acutifolia calyces strigosos, obtusifolia uncinato-pilosos.

Observ. Loco natali apud *Sturm* Flor. Deutschl. Heft 42. adde: Pasterze, *Hoppe!* qui hanc nuper pro *M. alpestri* dedit.

63.

10. *M. lithospermifolia Horn.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis integerrimis, calycibus fructiferis regularibus uncinato-pilosis, pedunculis erecto-patulis.

Descriptio. Folia radicalia spathulata, longe petiolata, caulina aequilata, obtusa, omnia tuberculato-strigosa, saturate viridia. *Caulis* villoso-pubescens. *Corollae* saturate coelestinae, majusculae. *Calyx* fructifer in pedunculo longiusculo erecto-patulo profunde 5-fidus, laciniis

exacte trinerviis, carinatis, basi et carina uncinato - pilosis.

64.

11. *M. sparsiflora Mik.*

Char. spec. M. corolla explanata, lobis integerrimis, calycibus fructiferis regularibus, basi uncinato - pilosis, pedunculis fructiferis reflexis.

Descriptio. *Planta* gracilis ramis diffusis, *caule* reflexo - piloso, *corollis* parvis pallidis, tubo brevissimo, seminibus magnis.

Observatio. Spontanea annua, culta etiam biennis. Jam in multis Germaniae regionibus, et in omni fere Saxonia lecta.

b. Corolla patula.

65.

12. *M. collina Ehrh.*

Char. spec. M. corolla calyceque fructifero patulis, stylo brevissimo.

Descriptio. *Planta* gracilis, tenera, quibusdam *M. arvensis*, sed vera *M. collina Ehrh.* *Caulis* simplex vel ramosus. *Calyx* uncinato-pilosus. *Caulis* et *folia* villoso - pubescentia.

66.

13. *M. versicolor Ehrh.*

Char. spec. M. corolla calyceque fructifero patulis, stylo longissimo.

Descriptio. *Habitus* si proprius aggredimus, singularis. *Herba* hispida. *Caulis* in locis siccis simplex, erectus; in humidis a basi mul-

tiplex, laterales adscendentes, omnes parum foliosi. *Folia* radicalia fere rosulata, spathulata, brevia, caulina pauca acuta, ad supremam caulis divisionem opposita, imo ubi caulina divisio triplex est, terna. *Racemi* longissimi. *Pedunculi* calyces subaequantes, mediocres igitur. Hi basi uncinato-pilosi, fructiferi dentibus suberectis. *Stylus* calycem superans, mox post corollae delapsum, ut in omnibus, deciduus. *Flores* juniores, superiores igitur flavi, annulo croceo, altera die laete coerulei annulo puniceo.

Critica. Postquam nostra prodiit hujus plantulae figura atque descriptio, speramus fore ut nemo illam porro alius speciei varietatem censeat, et novo erit testimonio, maximam confusionem tantum e bonarum figurarum defectu, vel e malarum existentia, oriri. Deleantur ideo verba nostram spectantia in Fl. Portug. I. p. 174. *M. lutea Cav.* quae in Lusitania et Hispania crescit, potius *M. collinae* habitum refert, cui foliis et stylo brevi affinis, calyce autem ad dentium apices usque uncinato-hispido, ut reliquae partes, incano, et corollis minoribus luteis, tubo calycem superante, diffinis est.

67.

14. *M. intermedia Link.*

Char. spec. M. corolla patula, calyce fructifero clauso, pedunculis longissimis.

Observ. Facile dignoscenda, etiam caule magis quam in reliquis folioso singularis. Compressione siccationis calyces clausi aperiuntur.

68.

15. *M. arvensis Sibth.*

Char. spec. M. corolla patula, calyce fructifero clauso, pedunculis brevissimis.

Observ. Habitu quodammodo varians, omnium calyces longissimos, pedunculos brevissimos sistit. Quo siccius solum eo simplicior caulis, et tunc haud raro iam a basi flores propullulat. In pinguioribus aut pluviosa temperie caules multiplicantur, ubi laterales numerosissimi adscendunt, simplex autem et medii semper stricti. Species vulgatissima, iam veteribus cognita, serius multis nominibus insignita, cf. ap. *Sturm* facc. 42.

Prof. Reichenbach.

Echinospermum.

Char. gen. *Cor.* hypocrateriformis, explanata vel patula, fauce fornicibus instructa. *Nuculae* stylo persistenti affixae; echinatae, compressae.

a. Corolla explanata.

69.

1. *E. deflexum Lehm.*

Char. spec. E. racemis erecto-patulis, calyce corollae tubum superante, seminibus deflexis, margine aculeis glochidatis (basi) tertiam partem connatis, uniseriatis.

Observ. Habitus *Myosotidis*. *Racemi* foliosi, sed eorum folia quum in interstitiis florum inveniantur, immerito bracteas vocaremus. *Myos. squamosa Kitt. Thomas. Schleicher.*

b. Corolla patula.

70.

2. *E. Lappula Sw.*

Char. spec. E. racemis fastigiatis, calyce corollae tubum aequante, seminibus erectis, margine aculeis glochidatis (sub) liberis, biseriatis.

Observ. Planta humilis, submollis, incana, rara. *Myosot. Lappula Linn.* et cf. *Wahlb.* Ups. p. 69.

71.

3. *E. squarrosum Rchb.*

Char. spec. E. racemis divergentibus, summis longioribus, calyce corollae tubum superante, seminibus erectis, margine aculeis glochidatis (sub) liberis, biseriatis.

Observ. Planta elata, hispida, obscure viridis, vulgaris. *Myos. squarrosa Retz. Myos. Lappula* complurium auctorum. Quod reliquum est conferas figuram nostram et descriptionem ap. *Sturm* Fl. Deutschl. Heft 43.

Prof. Reichenbach.

Ptychostomum novum muscorum frondosorum genus. Constituit et descripsit Dr. Hornschuch.

Ptychostomum. *)

Char. essentialis. Peristomium duplex: exterius dentibus sedecim erectis, interius membrana hyalia plicata, peristomio externo adhaerens et dentes ejusdem inter se conjungens.

72.

1. *Ptychostomum compactum Hornschuch.*

Char. spec. P. foliis ovatis cuspidatis arcte imbricatis, capsula inclinata obovata, operculo mammillato obtuso.

Patria: Germania; in locis nudis ad terram in summis alpibus, in vicinia excelsi montis *Glokner*, e. g. in alpe *Teutschnitz* prope *Kals* Tyrolis septentrionalis, et in alpe *Salmshöhe* Carinthiae superioris.

Descriptio. Caules bi-quatuor lineas alti, in caespites denssissime conferti, et radicularum fuscarum tomento, usque ad apicem innovationum juvenilium fere adscendente, ita connexi, ut absque dilaceratione haud facile separantur; inferne simplices, foliis emarcidis tomentoque radiculoso fusco tecti, superne infra florem innovatione solitaria vel gemina, aliquando plurima prolongan-

---

*) Nomen a graeco πτυχη (plica) et ςομα (os) fundo.

tes, purpurei; *rami* eodem modo, quo caulis, innovatione prolongati, basi radiculosi. *Folia* caulis fructiferi sub fructus maturitatem pleraque emarcida, strictissima, hinc imbricata, lutescentia, in innovationibus novellis laete viridia, basi purpurascentia; inferiora minora, laxiora, quam susuperiora, ovata, cuspidata, nervo in medio seu sub apice folii soluto; superiora majora gemmiformia, nervo aliquanto excurrente, *omnia* ventricosa, margine revoluta, integerrima. *Flos dioicus; masculum* non vidi; *foemineus* gemmiformis, terminalis, *foliis perichaetialibus inferioribus*, seu *exterioribus* caulinis similibus, *superioribus* seu *interioribus* lanceolatis, acuminatis, concavis, margine involutis; *nervo* crasso in acumen longissimum excurrente: *retis areolis* parallelogrammis. *Pistilla* 4 — 6 foecunda germine ovato, virescente, stylo purpureo, longitudine germinis, stigmate bipartito; infoecunda germine oblongo, stylo purpureo. *Paraphyses* multae, filiformes, 6 — 8 articulatae, articulis flavescentibus, geniculis obscuris. *Vaginula* conica, glabra, fusca. *Seta* 6 — 8 lineas longa, erecta, apice plus minusve incurva, inferne purpurea, superne pallidior. *Capsula* inclinata obovata, subpyriformis, ore contracto, pallido-lutea. *Operculum* parvum, mammilatum, obtusum, eo loco quo capsula connatum, coarctatum, siccitate papillosum, luteum, basi purpurascens. *Peristomium* duplex: *exterius* dentibus sedecim erectis, trabeculatis, basi purpureis, superne hyalinis, *interius* membrana hyalina, pli-

cata, peristomio externo connata et dentes ejusdem inter se in conum obtusum conjungens. *Calyptram* non vidi.

73.

2. *Ptychostomum pendulum Hornsch.*

Char. spec. P. foliis ovato-oblongis acuminatis imbricatis, capsula pendula pyriformi, operculo conico apiculato.

Patria: Germania, in supremis Carinthiae superioris alpibus, ad terram nudam.

74.

5. *Ptychostomum cernuum Hornsch.*

Char. spec. P. foliis oblongis acuminatis laxis, capsula cernua elongato-pyriformis, operculo conoideo obtusiusculo.

Syn. Didymodon cernuum Swarz musc. Suec. p. 83. t. I. f 2. *Cynodontium cernuum Hedw.* Spec. musc. 58. t. IX.

Patria: Suecia, in fissuris rupium madidis Sueciae legit Ol. *Swartz.*

Critica. Habitus generis similis est *Bryo*, a quo vero membrana interna integra plicata differt; quae membrana in maturitate fructus dentibus externis quasi adglutinata, operculo autem prolapso fructuque exsiccato dentes externi erecti membranam dilacerant, quae nunc in fragmentis dentibus adhaerens conspicitur.

Dr. Hornschuch.

75.

1. *Cassia parvifolia. Wenderoth.*

Char. spec. C. foliis subdecemjugis linearibus mucronulatis: glandula baseos petiolorum urceolari, stipulis bracteisque setaceis, pedunculis subtrifloris, leguminibus hirtis. ♄.

Patria: — — —?

Descriptio. Radix - - - *Caulis* - - - *Ramuli* floriferi spithamei, lignosi, angulati, debiles, subtomentoso-pubescentes. *Folia* alterna, petiolata: petiolus hirsutiusculus, supra basin glandula parva urceolari fusca praeditus, seta terminatus; 10—15-juga; foliola fere aequalia, minuta, (3—6 lineas longa unam lata), glabra, venoso-costata, margine sub lente hispidula, mucronata. *Stipulae* lanceolatae, nervosae, margine hispidulo-ciliatae. *Pedunculus* supra petiolum bracteatus: bracteae et bracteolae stipulis simillimae, unibi-triflorus; *pedicelli* inaequales filiformes. *Calycis sepala* oblonga, acuminata, setacea, ciliata, petalis inferius longiora. *Corolla* patula. *Legumen* lineare, pilosum.

Critica. Cassia acuminata *Mönch.*, cujus in herbario (in horto non exstat) adscripto hoc nomine demtoque propria manu synonymo *Cassiae marilandicae* exemplaria speciei hujus generis invenio, quae nullae descriptarum convenit. Forte nostra species C. *microphyllae* et *mimosoidi* vicina vel proxima, discrepant vero hae foliis multijugis pedunculisque unifloris, cet.

E.

76.

2. *Cassia ligustrina L.*

Char. spec. C. foliis subseptemjugis ovato-lanceolatis acutiusculis, margine petiolisque pilosis, glandula petiolari inter infima.

Patria: Habit. in calidioribus Americae septentrionalis regionibus, *Virginia* inque *Bahamis*, colitur apud nos in tepidario, quo Martio, Aprili floret. ♄.

Descriptio. *Arbuscula* quadripedalis, cortice cinereo verrucoso ac piloso tecta. *Folia* petiolata: petiolus pilosus, pinnata, 5 — 7-juga, subaequalia, infima paria plerumque minora; inter haecce una alterave glandula petiolaris; *foliola* ex ovata basi lanceolata, acutiuscula, mucronata; utrinque glabra, margine nervisque tantum pilosa, subtus glaucescentia, a semi- ad integrum pollicem longa, 3 — 4 lineas lata. *Stipulae* ovato-oblongae acuminatae. *Flores* racemosi. *Pedunculi universales* axillares foliis breviores, pilosi; *pedicelli* pilosiusculi. *Calyx* 5-sepalus, coloratus, *sepala* ovalia, acuta, glabra. *Corolla* 5-petala, inaequalis, aurea, *petalum supremum* maximum rotundatum, emarginatum, *duo lateralia* opposita minora; *infima* minima oblonga crenata. *Stamina* tria *superiora* sterilia, antheris compressis emarginatis; tria *inferiora* petalis infimis incumbentia; quatuor reliqua *centralia* erecta, per paria posita: *antherae* tetragonae, approximatae. *Pistillum* cum tribus staminibus inferioribus deor-

sum flexum; *stylus* ovario laevi brevior; *stigma* simplex.

Critica. Ex definitionibus auctorum (Linnei, Willdenowii, Persoonii, cetr.) a nemine certe cognosci potest. A *Moenchio* aliisque, qui vulgariorem quam re vera haec est planta, et sub dio nostris regionibus vigentem credunt, confusam esse cum *Cassia marylandica* L. constat.

77.

3. *Achillea mongolica* *) *Fisch.*

Char. spec. A. foliis pectinato-pinnatifidis, laciniis lanceolatis argute dentatis, corymbo paucifloro.

Descriptio. *Caules* exsurgunt plures ex radice fibrosa perenni, pedales, bipedalesque, pilis lanatis obtecti. *Folia* pectinato-pinnatifida, laciniis lanceolatis argute et inaequaliter dentatis, in axillis inferioribus fasciculus foliorum; ex superioribus rami foliosi et floriferi. *Flores* corymbosi: corymbi pauciflori. *Calyces* subglobosi, squamis rotundatis fusco-marginatis. *Corollulae radii* parvae, letae, aeque ac disci albae; antherae ante anthesin ochraceae dein flavae, quod singularem et pulchrum praebet adspectum.

Prof. Wenderoth.

---

*) Hoc sub nomine semen accepi; plantae insignis vero nullibi mentionem factae invenio et patriam ignoro.

78.

1. *Lamium micranthum Weinm.*

Char. spec. L. foliis oppositis: inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus cordato-acutis obtusis crenatis, verticillis sexfloris.

Patria: Brasilia, colitur in horto nostro. ☉.

Descriptio: Radix annua fibrosa. *Caulis* tetragonus pedalis et, cum omnibus plantae partibus pilosus, pilis patentibus reflexisve. *Calyx* quinquepartitus: dentes aequales ciliatae, seta terminatae. *Corolla* parva, dentibus calycis fere adaequans, incarnata; *labium superius* fornicatum, integrum, inferius emarginatum, involutum, edentulum.

Observ. Primo intuitu *Lam.* purpureum refert; sed pilositate et corolla parva praecipue differt. — *Lam.* purpureum inter et *Lam.* incisum ponendum.

79.

2. *Plectranthus divaricatus Weinm.*

Char. spec. P. nectario subgibboso, racemis divaricatis, foliis oppositis cordatis crenatis petiolatis, caule suffruticoso subquadrangulato ramoso.

Patria: — ? Semina a Dom. de *Parmentier* e Hollandia missa sub nomine *Ruelliae* ocimoidis. *Plectrantho* punctato Willd. spec. pl. Tom. 3. part. 1. pag. 169. propinquus. Floret in Calidariis nostris Autumno. ♄.

Descriptio. Caulis 1—2-pedalis, suf-

fruticosus, subquadrangulatus, angulis rotundatis, pilis simplicibus mollibusve obsessus, hinc inde punctis lineolisque rufescentibus pictus. Internodii caulis superne tumescentes. *Folia* cordata, profunde crenata: crenis apice punctis albescentibus vel subcartilagineis, inferne foveolata, praecipue ad nervos pilosiuscula, superne villosiuscula, mollia. *Petioli* inferiores saepe 4 uncias longi, superiores sensim sensimque breviores fiunt; ut folia suprema sessilia evadant. Inflorescentia racemosa, divaricata. *Racemi* semipedales et ultra, nutantes. *Flores* verticillati: verticilli sexflori, remoti. *Pedicelli* bilineares, filiformes. *Calyces* fructigeri sulcati, pilosiusculi; *labium superius* latum, subacutum; *inferius* quadri-partitum, dentibus acuminatis fere pungentibus. *Corolla* pilosiuscula, caerulescens, dentibus calycinis inferioribus fere aequalis; *labium superius* trilobum, lacinia media majore emarginata vel interdum biloba; *labium inferius* oblongum, obtusum, concavum.

80.

3. *Agaricus tepidarius Weinm.*

Char. spec. A. solitarius confertusque terrestris, pileo campanulato bruneo vel fuliginoso tomentoso-squamoso, lamellis albis liberis, stipite farcto bulboso.

Patria: Hic singularis atque spectabilis fungus provenit quotannis per totam aestatem in tepidariis nostris in vicinitate tabulis pineis

Descriptio. *Pileus* in prima juventute bruneus vel fuligineus, globosus, dein campanulatus, cortinatus; cortina alba fugace. In statu seniori sensim sensimque sese expandit et planus fit. *Pileo* dilacerato, oriuntur in magna quantitate squamae latae bruneae, et totus pileus tomentoso-squamosus evadit; in medio adsunt interdum guttulae nigrae vel adustae. Margo pilei est saepe albo tomentosus sine squamis bruneis. In hac statu totius explicationis habet latidutinem 7 — 8 uncialem. *Lamellae* in statu teneriori aquosae albidae, in adultiori albae, $\frac{3}{4}$ unc. latae, rotundatae, a stipite remotae; in statu solutionis rutilanti micantes. *Stipes* 5 unc. longus, $\frac{3}{4}$ unc. crassus, albus, glaber, bulbosus; bulbus fere 2 unc. crassus.

Observ. Affinis mihi videtur Agarico procer. *Fries* Syst. mycolog. pag. 20.

81.

4. *Agaricus acute-squamosus IV.*

Char. spec. A. solitarius terrestris graveolens, pileo carnoso, planiusculo ferrugineo tomentoso-squamoso, lamellis candidis liberis confertis, stipite squamoso subcavo; annulo subfugaci.

Patria: *Rossia*, in graminosis horti Caesarei Gatschinensis atque Pawlowskiensis Autumno rarius legi.

Locus inter Agaricum cristatum et ermineum *Fries* Syst. mycol. 1. p. 21. ponendus.

Descriptio. *Pileus* 2 — 4 unc. latus, primo ferrugineo-tomentosus, dein albus nitens, squamis ferrugineo-tomentosis, acutis obsessus. *Lamellae* 3 lin. latae, a stipite remotae. *Caro* alba floccosa. *Stipes* 2 — 2½ unc. longus, 5 — 7 lin. crassus, subcavus, intus floccis albis repletus, subbulbosus, squamosus, pileo fere concolor. Odor fortis. Sapor primo subdulcis, dein subacer, postea nauseosus.

82.

5. *Agaricus affinis Weinm.*

Char. spec. A. confertus terrestris, pileo carnoso - membranaceo subdifformi glabro nigrescente, lamellis emarginato - adnexis e cinereo alboque lutescentibus, stipite solido sulphurescente.

Patria: *Rossia.* Autumno legi in pinetis colliculosis horti Caesarei Pawlowskiensis.

Descriptio. *Pileus* 3 unc. et ultra latus, hemisphaerico - campanulatus, undulato - flexuosus. *Lamellae* 5 — 6 lin. latae, dilutissime sulphureo-micantes. *Stipes* 2 unc. longus, ½ — ¾ unc. crassus, extus intusque albido - sulphureus, interdum curvus, cylindricus.

Observ. Affinis *Agarico* cartilagineo *Bull.* et frumentaceo *Bull.*, inter quos ponendus (*Fries* Syst. mycolog. 1. p. 46.) sed e comparatis definitionibus et fig. datis edoctus sum quod sit ob om-

nibus certe diversus. An Agaricus myomyces β alter Fr. l. c.?

83.

6. *Agaricus melleus β ingricus IV.*

Char. spec. A. Truncigenus terrestrisve, confertus solitariusque, pileo carnoso-membranaceo hemisphaerico ochraceo-lutescente pilosiusculo, lamellis primo albis dein lutescentibus subdecurrentibus, stipite lutescente fibrilloso subbulboso, annulo subfugaci candido.

Patria: Rossia. Autumno copiose provenit tam in graminosis quam in arborum vicinitate vel in eorum truncis.

Descriptio. Pileus 3 — 6 unc. latus in primo statu hemisphaericus, sulphureo-pilosus margine cortina persistente albescente fimbriatus, dein planuisculus, postea subinfundibuliformis, margine saepe undulato-crispatus sulcatusque, pilis evanescentibus obsessus. *Lamellae* aetatis tenerioris albae, dein albescente-lutescentes, postea saepe dilute cinnamomeae, sporidiis albis copiosissime obductae, 3 — 6 lin. latae, subdistantes. *Stipes* 2 — 3 unc. longus, apice 3 — 4, basin versus 4 — 8 lin. crassus, fibrillis vel squamulis sulphurescentibus vestitus, intus medula gossypina farctus. Cortina alba, araneosa. Annulus evanescens candidus.

Observ. Tabulae comparatae Bull. 377 et 540 fig. 3 affines quidem sunt fungo nostro; sed est notis dictis diversus. An Spec. distincta?

84.

7. *Agaricus spectabilis Weinm.*

Char. spec. A. confertus solitariusque terrestris, pileo carnoso hemisphaerico umbonato ferrugineo velutino-molli, lamellis primo albescentibus dein dilute ferrugineis, stipite solido crasso pileo concolore, annulo magno ferrugineo-squamuloso.

Patria: Rossia, in graminosis horti Caesarei Paw. haud infrequens.

Descriptio. Pileus in statu adultiore planiusculus, margine revolutus et ut totus fungus ferrugineus, velutino-mollis, exceptis lamellis, quae glabrae, 4—6 unc. latus, elasticus, firmus. *Caro* alba floccosa, 6—8 lin crassa, lamellae 3—5 lin. latae, stipiti adnexae. *Stipes* 5—6 unc. longus, infra pileum $\frac{3}{4}$ unc., basin versus, 1—$1\frac{1}{2}$ unc. crassus. *Cortina* dura subpersistens, $\frac{1}{2}$ unc. lata, praecipue squamulosa vel floccosa, sulcata. Sapor subaquosus non ingratus ut odor.

Observ. Proximus Agarico Vahlii *Fries* Syst. mycolog. 1. p. 240. Ad speciosos fungos adnumerandus?

85.

8. *Sclerotium vestitum Nees.*

Char. spec. S. epiphyllum subglobosum confertum fuscum, cortice albo-farinaceo granuloso diffluente tectum, intus pallidum. Nees ab Esenb. in lit.

Patria: *Rossia*, in foliis alneis horti Caesarei una vice sed copiose 1820 post nivis deliquescentiam inveni.

Pawlowk. *J. A. Weinmann, hort. Caesar.*

Carex
(Vignea Beauv.)
spica composita, spiculis omnibus androgynis, superne masculis.

86.

1. *Carex (Vignea) Heleonastes Ehrh.*

Char. spec. C. spiculis subtribus sessilibus alternis ovatis approximatis: intermedia minima, akeniis ovatis acuminatis gamophyllo ovato marginato longioribus, calamo erecto attenuato, superne trigono, aspero.

Syn. *Carex* Heleonastes *Ehrh.* Beitr. 1. 186. *Willden.* spec. IV. p. 228. *Schkuhr* Caric. Tab. ji. fig. 97. *Wahl.* Fl. lapp. 327.

Patria: Habit. in Sueciae, Bavariae, Salisburgi, paludibus. Floret Majo.

Descriptio. *Radix* simplex, tenuis, oblique descendens, fibris albidis aucta, paucos tantum calamos foliorumque fasciculos emittens, vaginis oblongis, striatis, fuscis tectos. *Folia* angusta, breviuscula, calamo fructifero dimidio bre-

viora; conduplicato - plana, linearia, in longum tenuissimumque apicem attenuata, scabra. *Calami* pedales, erecti, rigidi, laete virides, inferne foliati, multo-striati, laeves, superne nudi, asperi, trigoni, uno latere excavati, alteris duobus strio elevato ornati. *Spica* terminalis, semiuncialis, cylindrica, ex tribus, interdum quaternis spiculis ovatis sessilibus, superne masculis, inferne foemineis, composita, quae ita sunt aproximatae ut spiculae inferioris apex intermediae basin vix attingat; ceterum spicula intermedia reliquis minor. *Bractea* quae interdum ad spiculae inferioris basin observatur ex ovata et ampliata basi oblonga, longe-acuminata, pallida, dorso viridi, spicula sua brevior. *Gamophylla* exacte ovata, pallida, margine membranacea, akenii fere longitudine. Akenia suberecta, ovata, acuminata, hinc plana inde convexa, utrinque longitudinaliter striata, viridia, demum apice marginibusque aureo fere colore fulgentia.

Obs. I. Caricis genus, quod ultra 200 species complectitur, in dua genera, duce *Palisot de Beauvois*, dividere, optimum factu mihi videtur, quorum primum: *Riedgras*, *Vignea*, (in honorem cel. De la Vigne, Professoris Charcoviensis, qui praeter alia, quibus de re botanica optime meruit, opera, in Hoffmanni bot. Tasch. 1804. Caricum genus elaboravit, sic dictum) species: stigmatibus duobus, akenio uno latere convexo, altero complanato; — alterum, *Segge*, *Carex*, species: stigmatibus tribus, akenio trigono, comprehendit. Conf. Flora 1821. p. 17.

Obs. II. Heleonastes, ab ἕλος (palus) et ἄστος (civis) derivandum. Pro errato typographico igitur habendum est, si a cel. *Willdenow* et *Schkuhr Helenostes* scriptum invenitur.

Obs. III. Plantam hanc primus cel. *Erhart* in Sueciae palude Jumkilensi detexit, illique hocce nomen imposuit. (Erh. Beitr. 3. p. 69 71.) Deinde, a cel. *Wahlenberg*. *Willdenow*. et *Schkuhr*. in eorum scripta recipiebatur. Aestate anni superioris a cel. Dre. *Zuccarini* prope Monachium, nec non a me prope Salisburgum reperta, civis germanici jura adepta est.

Obs. IV. Diagnosis, quam primam dedit cel. *Erhart* (Beytr. I. p. 186. Linn. jun. suppl. pl. 414.) nostris temporibus valere nequit; majoris aestimandae sunt, quas a cel. *Wahlenberg* et *Willdenow* indicatas invenimus, attamen minus accuratae. *Willdenow* in diagnosi sua formulas affert, quarum maxima pars ad subdivisiones potius et characterem genericum pertinet, atque spiculas quaternas subulato-ellipticas pro signis characteristicis exhibet, quae tamen naturae contraria esse apparet. Ita et *Wahlenberg* (Flora lapp. p. 552.) cum in diagnosi, tum in descriptione — forte ab exemplaribus siccis desumta — characteres adduxit aeque parum in nostra planta extantes, e. g. planta tota aspera, culmus acutangulus, spiculae omnes aequales, quinae etc. Cel. *Schkuhr* plantam, tab. XI. fig. 97., in *flore* depinxit, quod in hujus generis speciebus parvi tantummodo aestimari potest.

His de causis haud alienum a proposito duxi, plantam hanc florae germanicae vindicatam non solum accuratius describere, sed et descriptionem, quae sequitur, C. lagopinae, ad cujus similitudinem proxime accedit, adjungere.

87.

2. *Carex (Vignea) lagopina Wahl.*

Char. spec. C. spiculis tribus sessilibus alternis ovatis confertis: suprema maxima, akeniis ovatis rostratis, gamophyllum ovatum immarginatum aequantibus, calamo suberecto crassiusculo, superne triquetro laevi.

Syn. *Carex* lagopina *Wahl.* flor. lapp. 326. *Carex* Lachenalii *Schk.* Car. Tab. y. nr. 79. et Fff. 129. *Carex* leporina Willd. sp. pl. IV. 229.

Patria: Habitat in summis Carinthiae, Salisburgi alpibus una cum Eriophoro capitato locis humidis graminosis. Floret Augusto.

Descriptio. *Radix* simplex tenuis subrepens, fibris plurimis albidis aucta, paucos tantum calamos foliorumque fasciculos vaginis breviusculis laxis pallidis striatis tectos emittens. *Folia* angusta, linearia, apice attenuata, vix margine scabra, calamo fructifero multo breviora. *Calami* semipedales, suberecti, crassiusculi, laete virides, laeves, inferne foliati striati, superne nudi, triquetri, faciebus plani. *Spica* terminalis ½ uncialis, ovata ex tribus, nec unquam pluribus spiculis ovatis

alternis, subaequalibus, composita, quae ita sunt approximatae ut spicula inferior apice suo basin superioris attingat. Bractea quae in spiculae inferioris basi interdum observatur, ovata, marginata, dorso nervo viridi elevata, apice nonnunquam arista terminata. Gamophylla undique imbricata ovata, castanea, nervo dorsali viridi connata, akenii fere longitudine. *Akenia* ovata, rostrata, laevia, demum castanea.

Dr. Hoppe.

88.

1. *Picris paleacea Vest.*

Char. spec. P. caule simplici erecto tereti scabro paucifloro, foliis hispidulis lanceolatis denticulatis, superioribus sessilibus, floribus subcorymbosis, receptaculo paleis brevibus deciduis instructo, calyce exteriore laxo, pappo sessili.

Patria: *Germania*, in agris Styriae superioris circa Maria Zell, unde misit Cl. *Hölzl*, Botanicus et Pharmacopoeus diligentissimus.

Floret aestate.

Descriptio. *Caulis* spithamalis, simplex, superne paucos edens pedunculos unifloros, teres, absque sulcis hispidus, et setulis nigris hirtus. *Folia* pauca, oblongo-lanceolata, denticulata, hispida, caulina sessilia, (nec amplexicaulea). *Flores* magni, flavi. Phylla nigricantia, interiora lan-

ceolata, nudiuscula, parce pilosa; exteriora dimidio breviora, laxa, dorso setis ciliata. *Thalamus* instructus inter germina membranulis fuscis deciduis, germine paulo brevioribus. *Pappus* sessilis, distincte plumosus.

Critica. Planta statura et habitu *Hieracii* Halleri differt a P. *hieracioide:* caule tereti (nec sulcato - angulato) subsimplici, paucifolio, foliis caulinis sessilibus, omnibus fere ejusdem magnitudinis, pluma pappi magna. A P. pauciflora *Willd.* differt: pedunculis haud incrassatis, et pappo sessili. Figura *Hieracii* pappoleuci Vill. quae P. pauciflorae simillima dicitur a Cl. *Willdenowio* nostrae plantae parum convenit; haec enim differt: foliis paucioribus, latioribus, magis integris, sessilibus, caulibus multifloris, squamis calycinis exterioribus non subulatis, patulis, sed lanceolatis adscentibus. Multo magis convenit nostrae icon *Hieracii* Halleri tab. 34. A P. *ruderali* differt: caule subsimplici (nec paniculato), foliis paucis, pedunculis non valde hispidis, floribus magnis.

89.

2. *Orchis signifera Vest.*

Char. spec. O. bulbis testiculatis, labello tripartito latiusculo, laciniis lateralibus subobblongis antice serrulatis, inter media productiori, fine dilatato, emarginato - bilobo serrato, petalis cuspidatis, cauda germine paulo breviora, bracteis teneris membranaceis longe cuspidatis germina excedentibus.

Patria: Styria: in pratis montosis circa Lantsch alpem.

Descriptio. Multum convenit cum O. *militari. Bulbi* oblongi indivisi. *Caulis,* potius scapus, fere ad flores usque involutus, inferne vaginis foliorum et superne vaginis acuminatis aphyllis. *Folia* oblonga et lanceolata *Spica* oblonga cylindrica. *Flores* rubelli, *petalis* in cuspidem filiformem excurrentibus. *Labellum* sub magnum disco laeve, laciniis omnibus antice serrulatis, lateralibus sat latis, media biloba vel emarginata. *Bractea* diaphana, tenera, longa et fine fere capillari instructa. *Calcar* cylindricum, crassiusculum, obtusum, dimidia germinis longitudine.

Critica. Haec *Orchis* ad illas pertinet quae nonnullis dicuntur: *O. labello quadrifido.* Bracteis longis et labello laevi differt ab *O. militari* et *fusca,* ab O. *variegata* differt: figura spicae, calcare crasso, obtuso germinibus breviore.

90.

3. *Orchis imbricata Vest.*

Char. spec. O. bulbis---? labello trifido, laciniis linearibus subaequalibus, medio parum longiore, petalis angustis cuspidatis subconniventibus labello paulo longioribus, cauda ascendente gracili germine quadruplo breviore, bracteis lanceolatis germen aequantibus, spica ovata compacta obesa.

Patria: Carinthia, in pratis montosis prope Klagenfurtum.

Descriptio. *Caulis* sesquipedalis, vaginis infimis aphyllis. *Folia* basi vaginantia, oblonga, pollicem lata. *Spica* compacta, ovata, basi non attenuata. *Flores* parvi, minores quam in O. *ustulata*, cauda filiformi, brevi, quater brevior germine. *Petala* angusta, longe cuspidata; laciniae labelli angustae, lineares, integerrimae, medio paulo productiori.

Critica. Insignis est haec *Orchis* statura procera, spica obesa, floribus minutis.

Ab O. *coriophora* differt: spica ovata, caule alto forti, foliis latis, petalis angustis acuminato-cuspidatis.

Ab O. *globosa* distincta: statura, floribus, figura spicae, foliis, labello integerrimo.

Ab O. *pyramidalis* notis dictis diversa et cauda brevi.

Observationes quaedam in Elatines species; auctore Alex. Braun.

Sub *Elatines Hydropiperis* nomine plures similes et partim jam antea distinctas plantas *Linneus* conjunxit, quorum *Vaillantius* duas delineavit. Neminem fugit quod cel. *Schkuhrius* duas species distinxit, *Elatinem* nempe Hydropiperem et triandram. De prima specie duas icones *Schkuhrius* dedit, quorum una minor, foliis longioribus et floribus sessilibus, altera autem duplo major et succulentior, foliis brevioribus, floribusque peduncula-

tis, quam *Vaillantius* sub nomine: *Alsinastrum* serpillifolium flore albo tetrapetalo, depinxit. Aliam speciem cel. *Decandolle* sub E. hexandrae nomine descripsit, quod altera species *Vaillantii Alsinastrum* serpillifolium flore roseo tripetalo, ac falso saepe pro E. triandra venditata est. — En ecce quatuor species: E. triandra *Schk.* hexandra *Dec.* Hydropiper *Linn.* et Hydropiper major *Schk.* In nostris regionibus priores tres species tantum observavi, quartam autem nunquam vidi, quamobrem nescio an pro vera specie vel tantum pro varietate majori E. Hydropiperis habenda sit, de qua tamen valde distincta esse videtur. Memorabilis etiam variatio sexus est in E. hexandra et triandra.

Denique sequentes species enumerare idoneum mihi videtur.

91.

1. *Elatine triandra. Schkuhr.*

Char. spec. E. foliis oppositis; floribus oppositis, sessilibus, tripetalis, triandris, trigynis; calyce diphyllo.

a) *major* caulibus caespitosis adscendentibus.

b) *minor* caulibus prostratis, repentibus.

Icon. Schkuhr bot. Handb. t. 109. 6.

Patria: Habitat in piscinis, aquis stagnantibus, fossis; (circa Carlsruh prope Scheibenhart) Sept. Oct.

Descriptio. Petala rosea. *Calyx* parvus, capsula trivalvi depressa brevior.

92.

2. *Elatine hexandra. Decand.*

Char. spec. E. foliis oppositis; floribus alternis, pedunculatis, tripetalis, hexandris, trigynis; calyce triphyllo.

Icon. *Vaill.* bot. paris. t. 2. f. 1.
(Elatine Hydropiper Engl. bot.)

Patria: Habitat in piscinis, aquis stagnantibus; (circa Carlsruh prope Scheibenhart) Sept. Oct.

Descriptio. *Petala* parva rosea. *Calyx* persistens, capsula trivalvi depressa longior.

93.

3. *Elatine Hydropiper. Linn.*

Char. spec. E. foliis oppositis; floribus alternis, subsessilibus, tetrapetalis, octandris, tetragynis; calyce tetraphyllo.

Icon. *Schkuhr* bot. Handbuch t. 109. 6.

Patria: Habitat ad margines exsiccatas aquarum stagnantium (circa Carlsruh prope Dachsland ad Rhenum) Sept. Oct.

Descriptio. *Flores* rosei. *Calyx* persistens, capsula quadrivalvi sublongior.

Si ista quarta planta ab E. Hydropipere satis distincta observatur, *Elatines* majoris nomine et sequenti diagnosi enumerari posset:

94.

4. *Elatine major.*

Char. spec. E. foliis oppositis; floribus alter-

nis, pedunculatis, tetrapetalis, octandris, tetragynis; calyce tetraphyllo. (Flores albi.)

Icon. Vaill. bot. paris. t. 2. fol. 2. — *Schkuhr* bot. Handb. 109.

95.

Spiridens.

Fam. nat. Musci Diploperistomi Pleurocarpi. *Sedes naturalis* inter *Climacium* et *Leskeam.*

Char. nat. Capsula lateralis. Peristomium exterius: dentes sedecim lanceolato-subulati apice spiraliter torti; ciliae interioris totidem conformes, basi membrana connexae, apice binae ternaeve cohaerentes. Calyptra cucullata glabra.

Descriptio. Unica species, familiae gigas, sesquipedalis, digitique minimi crassitie. Caulis firmus, erectus vel ascendens, in ramos aliquot superne divisus, dense foliosus. Folia undique patentia, basi vaginantia, lanceolata, acuminata, margine incrassata et argute serrata, lutescenti-viridia. Capsulae laterales, perichaetio immersae, obovatae, obliquae. Operculum rectum, conico-subulatum. Dentes peristomii exterioris 16, longissime subulati, sicco statu semel vel bis in spiram pulchre contorti. Peristomium interius Timmiae.

Patria: In summo monte ignivomo *Insularum Antillarum*, *Tidore* dicto, detexit Vir oculatissimus *Reinwardt*, Amicus dilectissimus, mihique siccam plantam benevole concessit describendam, cujus iconem, pluraque etiam, ad eam magis

illustrandam spectantia, *Actorum Academiae Caes. L. C. Naturae Curiosorum*, quae jam paratur, *Voluminis undecimi Pars prior* continebit.

Nees ab Esenbeck, sen.

Quatuor nova genera plantarum.

1) *Hypothronia.*

Didynamia Gymnospermia. Calyx 5-fidus: dentibus subulatis. *Corolla* bilabiata, ringens; labio superiore trilobo: lobis exterioribus acutis, intermedio galeato; labio inferiore bipartito.

96.

Hypothronia undata. ♄.

Patria: Habitat in Brasilia. *Mart.*

Hypothroniam vocavi, quod stamina quasi sub throni umbella recondantur. — Ad Hyptoidearum familiam pertinet, sed ab Hyptide manifeste diversa.

2) *Brehmia.*

Monodelphia Polyandria Pentagynia. *Calyx* simplex, polyphyllus, ventricosus. *Pericarpium* nullum, sed *semina* 5, muco gelatinoso involuta.

97.

Brehmia arborescens. ♄.

Patria: Habitat in Brasilia.

Nomen dedi in honorem D. Brehm, Bambergensis, Peregrinatoris in Promontorio Bonae Spei.

3) *Amphibecis Humb.*

Syngenesia Polygamia aequalis. Flores discoidei. *Receptaculum* nudum, planum. *Pappus* paleaceus, angustissimus, caducus. *Calyx communis* semielliptoideus, imbricatus: squamis exterioribus apice acutis, patentibus, interioribus totis adpressis.

98.

Amphibecis violacea.

Char. spec. A. floribus terminalibus, solitariis, in involucro polyphyllo sessilibus; foliis ovatis, serratis, glabris, in petiolum decurrentibus. ⊙

Descriptio. Caulis spithameus, ramosus, teres, pubescens. *Folia* alterna, ovata, serrata, obtusa, superiora sublanceolata, acuta: utraque in petiolum decurrentia. *Flores* terminales caulis et ramorum, in involucro polyphyllo solitarii sessiles. *Involucri* foliola patentia, superioribus foliis simillima, 3—4 majora, 4—6 multo minora. *Calyx communis* ovum secundum axim transversam sectum refert, imbricatus *squamis* ovato-lanceolatis, adpressis, subcoloratis, in spinam acutissimam, innocuam, patentem attenuatis, margine omni punctis resinosis ciliato; interioribus totis rectis, apice rotundato. *Corolla* composita, multiflora, uniformis; *Flosculis* in circulum divergentibus, tubulosis, quinquefidis, pallide violaceis: laciniis lineari-lanceolatis, mox apice involutis. *Stamina* 5, ex tubo corollulae. *Filamenta* brevissima, capillaria. *Antherae* in cylindrum, a stylo perforatum, connatae,

albae. *Pistillum;* *ovarium* oblongum, pallidissimum, ex flavo virens, apice coronatum; *pappo* paleaceo, caduco: paleis angustissime lanceolatis, margine minutissime ciliatis; *stylus* albus, tandem staminibus longior, apice bifidus; *stigmata* laciniae styli revolutae, apice pubescente: pube purpurascente. *Fructus:* semina nuda, oblonga, striata, coronata pappo paleaceo: paleis subsubulatis, caducis. *Receptaculum* nudum.

Patria: Brasilia. Colui vivam in horto.

Pappus saepe in semine adhuc immaturo delabitur, et omnes cavitates inter semina replet, ut aegerrime verus receptaculi habitus dignoscatur, quod in hoc statu facile paleos receptaculi mentiatur.

4) *Fingalia.*

Syngenesia Polygamia aequalis, Flores discoidei. *Calyx communis* 4 — 5-phyllus. *Receptaculum* paleaceum, subpauciflorum. *Semina* angulata, coronata aristis subtribus, hirsutis.

99.

Fingalia hexagona:

Char. spec. F. foliis petiolatis, lato-ovatis, acuminatis, utrinque mollibus, basi integerrimis, dein serratis. ⊙.

Descriptio. *Caulis* sesquipedalis, hexagonus, asper, parum aut vix ramosus, etsi in omnibus axillis ramorum rudimenta ostendat. *Folia* petiolata, trinervia, large venosa, lato-ovata, acuminata, utrinque mollia, margine serrata, sed basi et acumine integerrima. *Inflorescentia* terminalis

caulis et summorum ramorum. Pedunculi solitarii. *Calyx communis* ovatus, tetraphyllus pentaphyllusve: foliolis ovato-lanceolatis, erectis, subpauciflorus (ego flosculos non plures quam 12 numeravi, quorum aliqua sua semina ad maturitatem non perduxerunt). *Corolla* composita ex flosculis campanulato-tubulosis, albis; constat nempe quivis flosculus tubulo longiusculo, filiformi, tenui, ampliato denique in campanulam 5-dentatam: dentibus patentibus. *Semina* compressa, ancipitia vel trigona, coronata aristis duabus tribusve hirsutis, insidentibus stipiti brevissimo, sed crassiusculo, pariter hirsuto. *Receptaculum* paleaceum: paleis lanceolatis, membranaceis, nervosis, longitudine seminum, quae fere involvunt.

Patria: Habitat in Brasilia. *Mart.* Colui vivam in horto.

Nomen dedi in memoriam Regis Fingalis, perpetui in Ossiani poematibus herois. Gloriatur certe Fingal:

Mir schliessen sich Wunden;
Jedes heilende Kraut auf Bergen erkenn' ich; ich pflücke
Wo es an heimlichen Bächen sich wieget, sein zärtliches Haupt ab.

v. Schrank.

Observationes quaedam in aliquas Lycopi generis species; auctore Wenderoth.

100.

1. *Lycopus rubellus Mönch.*

Char. spec. Foliis oblongo-lanceolatis acumi-

natis, basi cuneata apiceque integerrima, medio serratis, subtus rubellis.

Syn. *Lycopus rubellus Mönch.* *Suppl.* p. 146. *Lycopus* flore minimo albo, foliis purpureis acuminatis, serratis, odore remisso. *Gronov. fl. virgin.* p. 5.

Patria. *Virginia*, colitur in horto nostro. ♃.

Descriptio. *Caudex descendens* fibrosus, stoloniferus, *adscendens* pedalis bipedalisve, tetragonus, brachiato-ramosus et ramosissimus pubescenti-scabriusculus quod inprimis superne observatur. *Folia* opposita, oblongo- et ovali-lanceolata, basi cuneata integerrima, apice producta, medio tantum et fere aequaliter serrata utrinque pilis adpressis pilosiuscula, subtus glaucescentia, violaceo-rubella, sub lente punctata; superiora et summa magis fereque ex toto rubro colorata. *Flores* parvi subverticillati (in foliorum axillis congesti). *Calyx* minimus quinque-dentatus. *Corolla* duplo major calyce, alba, serius rubella; lacinia infima rubro-punctata.

Critica. Fateor me omnino causam fugere quamobrem nemo inter auctores, nisi *Mönch*, *Gronov* et *Steudel*, de hac planta valde distincta mentionem faciat. Cel. *Schraderus* cum quo specimina viva communicavi, eam quidem pro L. europaei varietate habere conatus est, sed planta nostra ab hac specie multo magis diversa est, quam L. exaltatus et virginicus. Contigit mihi occasio L. rubellum per plures annos in variis statibus observare et examinare, sed eam miram speciem semper constantem

vidi. Primo jam intuito a reliquis hujus generis speciebus differt, speciatim autem *a Lycopo europaeo:* caule humiliore ramosioreque, inprimis autem foliorum forma quorum basis cuneiformis et longe attenuata cum apice satis elongata integerrimae sunt: dentatione foliorum minori et aequaliori, qua nunquam formam semipinnatum accedunt; superficie glabra nec rugosa, subtus colore coeruleo-viridi in purpureo-violaceum vergente; in supremis semper toto rubro; tempore florendi semper seriori (Sept.) et demum loco natali, nostra planta nunquam sponte in Germania proveniente.

101.

2. *Lycopus europaeus L.*

Observ. Mirum variat altitudine: vidi individua quinquepedalia (in solo pingui humido). *Caulis* quadrangularis est, pubescens, plus minusve rubellus. *Folia* petiolata, oblonga, ex pinnatifida basi sensim sensimque grosse et sinuato-serrata, obsolete pubescentia. Flores verticillati bracteati: bracteae setaceae, calycis dentes erecti.

102.

3. *Lycopus exaltatus L.*

Differt: foliis omnibus profunde pinnatifidis hirtis; juniora molliter pilosa. Caulis scabriusculo-pilosus (nunquam glabrum reperi) Bracteae duplo longiores calyce, ciliatae; bracteolae calycem aequantes. Dentes calycis reflexi (in solo limoso-sabuloso cultus et ex eo in sabulosum et paludosum transplantatus faciem nullo modo mutavit).

103.

4. *Lycopus virginicus L.*

Descriptio. *Caulis* 2 — 3 pedalis, quadrangularis, ramosus, inferne pubescens, superne subhirsutus, (minime glaber) ad geniculos pilosus. *Folia* ovato-oblonga; caulina omnia basi duabus quartuorve laciniis pinnatifida, ramea et floralia grosse tantum et simpliciter serrata, subpetiolata, apice integerrima, margine revoluta, saturate viridia. Flores verticillati, sessiles; verticilli congesti, multiflori, bracteati: bracteae exteriores lanceolatae calyce longiores; interiores calycem aequantes, setaceae. Calyces campanulati, quinque-fidi: laciniae cuspidatae, ciliate. *Corolla* alba, labii inferioris laciniae punctis rubellis pictae, utrinque pilosa.

Plantae javanicae ineditae. Descripsit Nees ab Esenbeck. *)

104.

1. *Cassia Aeschynomene. N. et Bl.*

Char. spec. C. foliis multijugis oblique lanceolatis, margine cauleque strigosis, glandula sub infimis patellaeformi, stipulis lanceolato-subu-

---

*) Plura de his, additis stirpium Javanicarum maxime memorabilium fidis iconibus in Pugillo secundo et tertio plantarum Javanicarum, Actorum Academiae C. N. Cur. XII. volumini inserendis, invenies, quorum anterior Filices Muscosque jam plures tractavit.

latis, pedunculis supraaxillaribus trifloris bracteatis, leguminibus pubescentibus.

Descriptio. Est e *Chamaecristarum* numero. *Rami* virgati, teretes, parum flexuosi, pilis appressis incanis strigosi. *Folia* alterna, paripinnata, $3\frac{1}{2}$ — 4 poll. longa, 4 lin. lata, circumscriptione linearia, brevissime petiolata, petiolo tereti rachique inter foliola dense strigosis. *Glandula* sessilis, orbicularis, depressa, ad exortum primi paris pinnarum. *Foliola* numerosissima (70-juga) conferta, lineari-cultraeformia, mucronata, nervo margini supero parallelo eidemque approximato, 1 — 2 ramos furcatim in apicem emittente, supra glabra, subtus ad marginem sparsim strigosa, subsessilia. *Stipulae* oppositae, petiolo duplo longiores, lanceolato-subulatae, strictae, nervoso-striatae. *Flores* supraaxillares, subfasciculati, pedunculo communi vix lineam longo strigoso trifloro, bracteis tot, quot pedicellis propriis, ad apicem predito imbricatis ovato-subulatis nervoso-striatis persistentibus. *Pedicelli* elongati, folio attamen quadruplo breviores, filiformes, inaequales, strigosi, sub flore bracteolis duabus suboppositis linearibus ciliatis, instructi. *Flos* mediocris. *Calicis* foliola duo exteriora lanceolato-acuminata, concava, extus villosa, tria interiora duplo latiora, oblongo-lanceolata, acuminata, glabra. *Petala* subaequalia, orbiculata, calyce parum majora, lutea. *Stamina* 10, inaequalia, omnium *antheris* linearibus quadrangularibus truncatis nullis mucronatis, sed tribus superioribus filamentis paullo longioribus

innixis. *Pistillum* deflexum, *germine* filiformi strigoso-tomentoso albicante. *Legumen* bipollicare, 4 lin. latum lineare, mucronatum, planum utraque satura prominente, strigoso-pubescens, fuscum. ♄.

Patria: Habitat in *Javae* insulae montibus. Misit Vir Doctissimus *Blume.*

Affinitas: *Cassia mimosoides* Linn., obscurissima stirps, et *Cassia microphylla* Willd.. solae accedunt. Et *illa* quidem, ambagibus pluribus obnoxia, fructibus *angustis glabris* distinguitur, tacetque omne vestimentum *Linnaeus* immortalis, *antheras* autem 7. staminum oblongas esse narrat.

De *Cassia microphylla* ill. *Willdenovius* addit: „Valde affinis praecedenti; (i. e. C. mimosoidi,)" dinstinxi tantum hanc auctoritate Cl. *Vahlii*, qui diversam esse credit." Pedunculos autem *unifloros* tribuit suae neque situm extraaxillarem videtur observasse. Ut itaque alii judicent, sintve tres istae species, an una τριώνυμος, nostra exempla descripsimus, addimus reliquorum ad verba auctorum differentias:

C. mimosoides Linn. Foliis multijugis linearibus, (glabris?) glandula baseos petiolorum sessili, stipulis lanceolatis seta terminatis, pedunculis trifloris, leguminibus linearibus glabris.

Habitat in *Zeylona.*

C. microphylla Willd. (Sp. pl. II. 1. p. 529.) Foliis multijugis linearibus mucronatis (pubescentibus?) glandula inter infima (sessili?), stipulis lan-

ceolatis mucronatis, pedunculis unifloris solitaris, caule leguminibusque pubescentibus.

Habitat in Insula *St. Crucis.*

105.

2. *Cassia divaricata. N. et Bl.*

Char. spec. C. foliis decemjugis oblongis mucronatis, glandula inter infima obovata, pedunculis bifloris divaricatis.

Descriptio. Frutex ramis erecto-patentibus teretibus subflexuosis glabris. *Folia* pinnata, pedunculo communi subangulato sparsim pubescente. *Foliola* decemjuga, petiolulata, 6—9 lin. longa, obovato-oblonga, ex apice rotundato mucronulata, supra glabra, subtus sparsim pubescentia, glauca punctisque fuscis irrorata. *Petioluli* et horum insertio pubescentes. *Glandula* magna, obovata, sessilis, inter primum par foliolorum. *Stipulae* lanceolato-falcatae, apice subulatae, glabrae, punctatae, petiolo longiores, deciduae. *Pedunculi* axillares, plerique gemini, biflori, cum pedicelliis dimidium folium aequantes, nudi, subpubescentes, apice incrassati. *Pedicelli* divaricati, pedunculo communi parum breviores, nudi, glabriusculi, sub flore incrassati. *Glandula* obovata inter pedicellos pedunculum claudens. *Flores* ampli. *Calicis* foliola obovato orbiculata, obtusissima, duobus exterioribus multo minoribus ovatisque. *Petala* inaequalia, obovata, calice duplo longiora, crocea. *Antherae* crassae, quadrangulares, incurvae, quarum septem breviores, truncatae apiceque brevi

reflexo truncato terminatae, tres inferiores autem longiores, mucrone styliformi praeditae. *Pistillum* deflexum. *Germen* pedicellatum. *Legumen* lineari-falcatum, mucrone incurvo, strigosulum. ♄.

Patria: Habitat in *Java* insula. Misit Celeb. *Blume.*

Adnot. Quae sola, quoad descriptionem saltem comparari posset *Cassia Sophera* Linn., revera tamen maxime discrepat *foliolis acutis inflorescentia terminali.*

106.

3. *Delima tripetala. N. et Bl.*

Char. spec. D. foliis obovatis apice mucronato-dentatis, scaberrimis, floribus hermaphroditis paniculatis tetrasepalis tripetalis, ovariis capsulisque pubescentibus.

Descriptio. Caulis flexuosus, sarmentosus, in omnibus divisionibus villoso-scaber. *Folia* alterna, 3 — $3\frac{3}{4}$ poll. longa, $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. lata, obovata cum brevi obtusaque cuspide, basi rotundata, apicem versus quasi repanda dentibusque mucroniformibus remotis praedita, utrinque scaberrima, penninervia, venis subtus prominentibus, coriacea. *Petioli* vix pollicares, compressi, canaliculati, margine villosi. *Paniculae* axillares et terminales, decompositae, villosae. *Flores* fasciculati bracteis subulatis brevioribus interstincti. *Pedicelli* lineares, villosi. *Calyx* tetraphyllus, foliolis orbiculatis, obtusis, concavis, hirsutis, interioribus paullo majoribus. *Petala tria vix calice*

majora, orbiculata, brevissime unguiculata, duo alterna, tertium altero calicis foliolo oppositum, lutea. *Stamina* numerosissima, hypogyna, florem subaequantia. *Filamenta* in conjunctivum incrassata. *Antherarum* loculi remoti, globosi, latere dehiscentes. *Germen* conicum, dense albo-hirsutum. *Stylus* filiformis, staminibus longior, in alabastro recurvus, omnino glaber. *Stigma* subcapitatum. *Capsula* conica, hirsuta, stylo mucronato, 2—3 sperma.

Patria: Habit. in *Java* insula. *Dn. Blume.*

Obs. Differt a *Delima sarmentosa* Linn. fructu et germine hirsutis, a *Delima hebegyna* Dec., foliis distincte mucronato-dentatis, nec obsolete crenatis, tunc multo magis partibus floris, qui in utraque calycem 5—6 phyllum nulla que habet petala, in nostra vero foliola calicina 4, et petala 3, monstrat distinctissime.

Obs. 2. Folia ob scabritiem, sicuti et aliarum specierum confinium folia, ad polienda ligna usurpantur, quemadmodum apud nos Equiseti hyemalis culmi usui sunt.

Reinwardtia Blume.

Char. spec. R. Classis Linn. *Monadelphia. Polyandria.* Familia naturalis *Tiliacearum*, ad Dilleniaceas transeuntium.

Char. essent. Calix quinque-partitus, laciniis inaequalibus, tribus ramentaceo-hirsutis. *Coralla* pentapetala, fugax. *Stamina* annulo discum floris cingente conjunctae. *Styli* quinque. *Capsula* quinquelocularis, loculis polyspermis.

Char. natural. *Calix* inferus, magnus, quinquepartitus, irregularis, persistens, laciniis imbricatis, *duabus exterioribus* oppositis orbiculatis, coriaceis, extus totis setis ramentaceis hirsutis; *tertia* semicirculari, altero latere hirsuta, altero (succubo) membranaceo glabro, *duabus* denique *interioribus* suboppositis, oblique ovatis, obtusis, exteriores longitudine superantibus, totis membranaceis et glabris. *Petala* 5, fundo calicis ad staminum circulum inserta, obovata, emarginata, in unguem brevem latiusculum contracta, tenera, aestivatione succubo-contorta. *Stamina* 20 et plura, brevissima, ad basin calicis annulo, discum floris cingenti imposita, approximata; *filamenta* subnulla; *antherae* sessiles, erectae, subtetragonae; obtusae, introrsum trisulcae, bilocellatae, locellis centrum versus dehiscentibus. *Discus* planus hypogynus, fundum calicis sistens. *Pistillum* simplex; *germen* hemisphaericum, quinquelobum, quinqueloculare, septis intercurrentibus integris; *receptacula seminum* quinque centralia, in singulo loculo singula, crassa; *ovula* plura, minuta; *styli* 5, subulati, germine longiores, divergentes; *stigmata* capitato-depressa. *Capsula* quinquelocularis, loculicido-quinquevalvis, loculis polyspermis, receptaculo centrali quinqueradiato.

Habitus: *Arbor* foliis alternis integris venosis, insertis, exstipulatis. Gemmae axillares. *Pedunculi* axillares, apice bracteati, pauciflori. *Flores* singulares, Fagi involucro haud absimiles, lutei.

107.

5. *Reinwardtia javanica. Bl.*

Descriptio. *Caulis* teres, striatus, tuberculis ramentaceo-setosis exasperatus, detritis setis solummodo asper. *Folia* 4 pollices longa, $1\frac{1}{2}$ poll. lata, approximata, alterna, petiolata, elliptico-oblonga, acuminata, basi angustiora obtusa tamen et inaequalia, apicem versus minute serrulata, supra glabra, subtus ad costam mediam venasque primarias strigosa, pallidiora, venis arcuatis regulariter per paria approximatis, intervallis minutim et pulchre reticulatis. *Petioli* $\frac{1}{2}$ pollicem longi, inserti, superne canaliculati, exasperati et strigulosi. *Gemmae* florales imperfectae in foliorum inferiorum axillis. *Pedunculi* axillares, solitarii, folio dimidio parum longiores, compressi, scabri, triflori, bracteis duabus oppositis sessilibus ovatis acutis serrulatis ad pedunculorum insertionem praediti. *Pedicelli* $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ pollices longi, strigosi; medius nudus, laterales bracteis duabus mediis oppositis, sessilibus, margine et subtus ramentaceo-hirsutis instructi. *Alabastrum* floris magnitudine nucis avellanae, globosum, totum ramentaceo-hirsutum. *Floris* aperti interiora lutea, inaequaliter prominula. *Petala* vix longitudine calicis. *Antherarum* subsessilium *corona densa* annuli ad instar flavi cingit *fundum* floris depressum; quibus delapsis, restat cingulum pallidum, fundo insculptum. *Germen* glabrum, satis magnum. *Styli* calicis foliola exteriora subaequantia,

una cum *stigmatibus* glabra. *Receptaculum* seminum in singulo loculo e centro radiatim excurrit, spongiosum. *Ovula* complura receptaculum obtegentia. *Fructus*, in nostris exemplaribus immaturus, ad *Blumii* nostri verba in antecedentibus descriptus est.

Patria: Habitat ad *Salak Javae* insulae.

108.

6. *Hibiscus spathaceus. N. et Bl.*

Char. spec. H. foliis subrotundo-cordatis acuminatis denticulatis subtus quinqueglandulosis, caule arboreo fasciculatim hirsuto, floribus ex involucro bivalvi prodeuntibus, calyce exteriore duodecimpartito longitudine interioris.

Descriptio. Planta inter congeneres facile speciosissima. *Caulis* arborescens, *ramis* crassis, ramulis teretiusculis, tubo medullari amplo corticeque crasso insignibus, totis pilorum longiorum strictorum fasciculis fulvis hirsutissimis, quos inter cortex aliis multis pilorum minorum stellulis tegitur. *Folia* alterna, erecto-patentia, *petiolo* $5\frac{1}{2}$ poll. longo tereti-compresso fulvo hirsuto pilisque brevibus stellatis canis in fundo vestito praedita, $8-8\frac{1}{2}$ poll. longa, $7-7\frac{1}{2}$ poll. lata, cordato-orbiculata, acuminata, margine minute denticulata, supra fasciculis setularum cinereis scabra, subtus in fundo tenui albido-tomentoso cano-pilosa, 9-nervia, nervis venoso-reticulatis, primariis quinque apicem versus rima glandulosa notatis. *Stipulae* magnae, suborbiculatae, apice rotundatae, cucul-

latae, oppositifoliae caulique adnatae, integrae rariusve in oppositas partes dissolutae, integerrimae, valde hirsutae, caducae casuque suo cingulum obliquum glabrum in caule relinquentes. *Pedunculi* axillares, solitarii, teretes, hirsuti, dichotomi, petiolum longitudine aequantes. *Bractea* ad singulam dichotomiam bivalvis, ante evolutionem arcte clausa, obovata, florem brevissime pedunculatum cum folii minoris cordati rudimento, isti supposito, tum aliam bracteam clausam et similem prolem edituram fovens, mox autem dehiscendo abiens in *valvulas* duas ovatas obtusas extus fulvo-hirsutissimas intus strigoso-sericeas coriaceas caducas; verbo, sunt ipsae *stipulae*, in *bracteas mutatae*, et flores itaque in pedunculo communi, seu ramo, alternatim axillaresque proveniunt. *Pedunculus proprius* crassus, pollicem dimidium longus, fulvo-hirsutissimus. *Flos* satis amplus. *Calix* duplex; exterior interiorem fere aequans, profunde decempartitus, laciniis rigidis coriaceis erectis linearibus obtusis, extus concavis fulvo-hirsutis, intus convexis, sericeo-hirtis fuscescentibus; *interior* ultra medium quinquefidus, laciniis coriaceis erectis lanceolatis acutiusculis trinerviis, extus albido-tomentosis nervisque prominentibus fulvo-setosis, intus canis strigoso-tomentosis. *Corolla* calice major, speciosa, laciniis orbiculato-obovatis in breves ungues contractis, extus hirsutis, fulvis, nervis saturatioribus intus magis conspicuis fundoque late violaceo insignibus. *Columna staminum* a basi ad apicem tecta *filamentis* brevibus, *anthe-*

ris reniformi-globosis. *Stigmata* quinque capitata, depressa, glabra. *Capsula* longitudine calicis interioris, obovata, quinquangularis, stylisque persistentibus quinquerostris, quinquevalvis, quinquelocularis, fulvo-hirsutissimo. Loculi polyspermi. *Semina* mediocria, orbiculato-reniformia, compressa, rugulosa, fusca.

Patria: Habitat in *Java* insula. ♄. *Dn. Blume.*

Adnot. A *Hibisco tiliaceo Linn.* differt imprimis: calice exteriore profunde quinquepartito interiorem subaequante, nec quinquedentato, duplo breviore, hirsutie insuper maxime conspicua fulva.

De quibusdam plantis Italiae.

Ex primo volumine (Bimestre I.) Diarii Physicos, Chemiae et Historiae Naturalis, quod Ticini evulgatum anno 1822.

Joseph Morettius Baroni de Weldenio S. P. D.

Fidem solvo, praestantissime Vir, variarum Italiae plantarum synonymiam proferens, quas per nonnullas peninsulae meridionales regiones peregrinando collegi, tibique jam tradidi, vel ostendi. Aliarum addam plantarum descriptionem, quas nondum a botanicis observatas arbitror. Synonymiam juxta specimina, plus quam fieri potuit, tenaciter exaravi, quae botanices scriptores de iisdem loquendo ut typos habuere.

Diligentia, qua in ditissimo herbario tuo disponendo usus es maxima, haec mea quoque revisas precor, votique compotem me habebo, si tuam promerear benevolentiam.

DECAS SECUNDA. *)

109.

11. *Paederota Bonarota Linn.*

Sp. pl. ed. 2. 1. p. 20. (cum omnibus synonymis); ed. *Willd.* 1. p. 77. (excl. synon. *Scop.* et *Bauh.*) *Pollin.* Elem. bot. vol. 2. p. 152. (excl. syn. *Willd.* *Veron. Ponae*, et J. Bauh. n.) *Suffren* Cat. d. pl. du Frioul p. 108.

P. Buonarotta *Brignol.* Fasc. rar. pl. Forojul. p. 6. (excl. Syn. J. *Bauh.* n.)

Veronica petrea *Pon.* Mont. Bald. Descr. p. 179. ic. *Zannichel.* Iter. in Mont. Cabal. p. 53. *Seguier.* Veron. 1. p. 235.

In errorem sum lapsus, quando, de plantis soli Vicentini pertractans, articulo *Paederota Ageria*, excipere malui ab hac specie synonymum *Chamaedris montis summani Johannis Bauhini*

---

*) Decas prima extat in Bibl. Ital. t. XII. p. 569. continens: 1) Veronica Hostii Nob. 2) Poa fertilis Host. 3) Scabiosa repens Brig. 4) Scabiosa ucranica Linn. 5) Scrophularia atropurpurea Nob. 6) Prenanthes Chondrilloides Ard. 7) Senecio rupestris W. K. 8) Senecio chrysanthemifolius. 9) P. Hieracium cymosum Linn. 10) Hieracium intybaceum Jaq.

(Hist. pl. 3. p. 289.) qui sane ad eandem pertinet. *Bauhinus* hanc habuit speciem ab *Agerio*, qui illam collegit in monte Summano, ubi egomet ipsam inveni. Ejusdem icon ab auctore tradita satis est bona, excepta corolla, et inspicitur eam differre ab altera, quam is retulit a *Pona*, sive a *Veronica petrea sempervirenti* (lib. nom. p. 289. fig. 2.), et quae ad *Paederotam Bonarotam* est referenda.

Dein *Pollinius* quidem sese fefellit credendo, *Willdenowium*, *Persoonium*, et botanicos alios descripsisse *Paederotam Bonarotam* sub binis denominationibus diversis, idest sub nomine *Paederotae Bonarotae*, et *Veronicae Ponae Gouani*. *Gouanus* hercle deceptus fuit existimans, suam *Veronicam Ponae* quae habitat in Pyrenaeis, non secus esse ac *Veronicam petraeam sempervirentem Ponae:* sed tamen *Veronica Ponae Gouani* omnino differt a *Paederota Bonarota;* sicuti de hoc certiorem me fecit specimen, quod Clariss. *Decandollius* comiter mihi donavit. Optimum potius foret, si botanici ad confusionem tollendam, nuncuparent *Veronicam Ponae Gouani* denominatione *Veronicae Gouani*. Haec postrema haud in Italia, sed tantum in Pyrenaeis invenitur.

110.

12. *Veronica arguta Schrad.*

V. spicis terminalibus, foliis oppositis lanceolatis cano - pubescentibus aequaliter serratis, basi apiceque integris *Nob.*

V. foliis oppositis lanceolatis acutis simpliciter

serratis apice integerrimis, serraturis remotis aequalibus *Schrad* Comm. Sup. Veron. Spic. p. 22. n. 7. t. 2. f. 2. *a. b. Vahl.* Enum. 1. p. 360. *Willd.* Enum. Hort. Ber 1. p. 16. *Roem.* et *Schult.* Syst. Veget. 1. p. 90.

V. media Schr. Bibliot. Ital. Dicembr. 1816. t. IV. pag. 494. (non *Schrad.*)

V.s β. spica solitaria, foliis duplo angustioribus.

Pulcherrimae hujus speciei, quam primus descripsit Clar. *Schraderus* (l. n.) patria ignorabatur. Anno MDCCCXV illam in nemoribus Ticini apud Sedonem Lumelli inveni. Aliqua ejusdem specimina transmisi ad nonnullos botanicos sub denominationibus *V. mediae*, *V. australis Schraderi:* nunc autem exempla, quae ab horto Gottingae accepi, mihi probant, eandem esse *V. argutam Schrad.*

V.s β. Habit. in sylvis Ticini prope *Boffalora*, ubi inventa fuit a diligenti juvene botanico *Balsamo*. Floret junio, julio et tota aestate.

111.

13. *Scirpus Savii.*

Spicis sub-geminis ovatis obtusis: culmo foliisque setaceis strictis: seminibus tuberculatis *Sebast.* et *Maur.* Flor. Rom. Prodr. p. 22. n. 56.

S. setaceus Bivon. Centur. I. p. 72. n. 85. (non *Lin.*)

S. filiformis Savi Flor. Pisan. 1. p. 46. Bot. Etrusc. vol. 2. p. 19. n 282.

Isolepis sicula Presl, Cyperac. et Gram. sicul. p. 13.

Haec quidem species absolute differt a *Scirpo setaceo Lin.* ad quem illam immerito retulerunt *Roemerus* et *Schultes* (Syst. Veget. vol. 2. p. 108-109.). De synonymo *Presliano* certiorem me faciunt exempla, quae a Sicilia misit ad me accuratissimus botanicus Doct. *Gussonius*, Director Horti botanici quem Augustus Calabriae Princeps in Boccadifalco apud Panormum instrui jussit.

112.

14. *Cyperus olivaris Targion.* Dissert. p. 6.

C. culmo triquetro basi folioso, involucro umbella multifida composita longiori, spicis distichis lanceolatis, radice tuberculis subovatis odoratis *Sav.* Bot. Etrusc. Vol. 2. p. 29. n. 296.

C. radicosus, culmo triquetro nudo, umbellâ foliosa, spiculis lanceolatis, foliis patentissimis rigidis recurvis *Smith*, Prodr. Flor. Graec. 1. p. 30. n. 103. *Sibthorp.* Flor. Graec. t. 45. *Roem.* et *Schult. Syst.* II. p. 224. n. 200.

C. rotundus Decand. Flor. Franc. Vol. 3. p. 146. Vol. 6. Suppl. p. 301. *Tenor.* Fl. Med. univ. e part. del Regn. di Nap. t. 1. p. 125. (non *Lin.* nec *Smith* Prod. Fl. Graec.).

C. longus Turio, Specim. Clavar. p. 6. fid. *Decand.* l. n.

C. Hydra Tenor. Fl. Nap. pr. p. VIII. fid. auctor. (non *Michaux*).

Hic Cyperus agros et hortos in Hetruria, Regnisque Romae et Neapolis infestans a nonnullis botanicis cum *Cypero rotundo*, atque ab aliis cum *Cypero esculento* confusus est; sed ab utroque plane et omnino distat. De hac specie, et binis ejusdem generis adire oportet eruditam dissertationem memorati *Targioni*, in qua optimam earum omnium descriptionem tradit.

113.

15. *Panicum colonum.*

Spicis alternis secundis muticis ovatis scabris, rachi teretiuscula *Lin.* Sp. pl. I. p. 84. Synops. pl. Hort. bot. Panorm. fid. *Bivon.*

P. Crusgalli Variet. *Bivon.* Centur. I. p. 65 *Gusson.* Cat. Plant. Boccadifalc. p. 46.

P. numidianum Presl. Cyp. et Gram. Sicul. p. 19. (exclus. Synon. *Desf.* et *Lam.*).

Doctor *Gussonius* qui ad me transmisit specimina pulcri hujusce graminis in Sicilia sponte nascentis, arbitratur, Clar. *Preslium* ad ipsum gramen retulisse quoque *Panicum compressum Biv.* speciem omnino diversam. Etiam *P. numidianum Desf.* Flor. Atlant. I. pag. 60. tab. II. ab hac specie magnopere differt.

114.

15. *Plantago Cornuti Gouan.* (non *Jacquin.*).

P. foliis ovatis utrinque angustatis, crassis, integerrimis, basi lanatis *Nob.*

Gouan, Illustr. Gener. p. 6. *Decand.* Cat. pl. Hort. Monsp. p. 133. Flor. Franc. Vol. 6. suppl. p. 376. *Roem.* et *Schult.* Syst. Veget. 3. p. 113. *Moricand.* Flor. Ven. p. 89.

P. Gouani Gmelin Syst. natur. ed. XIII. t. II. p. I. pag. 251.

P. adriatica Campan. Cat. Hort. ferrar. p. 22. *Bertolon.* Am. Ital. p. 239. n. 15.

P. maxima Ruching. Flor. Lid. Ven. p. 45. (non Hort. Kew.)

P. maxima Hispanica Cornut. Canad. Plant. hist. p. 162. ic. 163.

P. maritima, latifolia, glabra, spica longiori, purpurascente *Zannich.* Ist. D. Piant. Ven. p. 212. t. 75. *Ginnan.* Istor. Pin. Rav. p. 190.

Eunte anno MDCCCIX. inveni hanc speciem plantaginis secus litora maris apud Aquilejam in peregrinatione cum accurato botanico *Comelli* ex Utina plantarum conquirendarum caussa illuc peracta. Deinceps illam aspexi secus litora Venetiarum et alibi maris adriatici. Nullum mihi superest dubium de planta *Gouani;* eximius enim *Decandollius* illius specimen ex herbario ejusdem *Gouani* captum mihi tradere dignatus est.

115.

17. *Verbascum Weldenii.*

Foliis radicalibus lato-lanceolatis obtusis in petiolum attenuatis, ultra medium crenatis, caulinis sessilibus cordato-acuminatis, racemis foliosus *Nob.*

V. Weldenii Braun. ined.

Desc. Caulis 2-pedalis et ultra, erectus, sulcatus, tomentosus, usque ad apicem foliosus. Folia subtus leviter tomentosa, supra glabriuscula virescentia; radicalia semipedalia et ultra, lato-lanceolata, obtusa, in petiolum desinentia, apicem versus crenata; caulina sessilia, cordata, in acumen longum producta, basin versus crenata. Racemus solitarius, simplex, foliosus, semipedalis, floribus fasciculatis compositus. Pedicelli 3-4 inaequales, calyce dulpo longiores. Flores pallide rubelli; calycibus tomentosis 6-partitis; calycinae laciniae lanceolatae, acutae. Corolla rotata. Filamenta aequalia; antherae flavescentes. Capsulas maturas non vidi.

Haec nova species Verbasci solo evulsa apud Novocomum a diligenti juvene botanico *Braune*, et a Dynast. *Weldenio* mihi tradita fuit. Mense julii floret.

De Smyrnio perfoliato Linn.

Celeberrimus inter viventes botanices scriptores *Curtius Sprengel* nuperius studuit hanc illustrare speciem, eandem iterum in duas species distinguendo, uti *Millerius* jam prius fecerat, earum alteram *Smyrnium Dodonaei*, et alteram

Smyrnium Dioscoridis vocans. Harum utraque specierum indigena est Italiae: prima enim crescit in Sicilia; altera autem in Monte *Gennaro* apud Romam, in Etruria et Regno Neapolis. Eas mihi perscrutanti videtur, quod memoratus Cel. *Sprengelius* plurimos patraverit errores, in allegatione synonymorum, et iconum uniuscujusque speciei. Etenim is plerumque alterius speciei icones ad alteram pertinentes refert, et contra. Deinceps statuit speciem *Smyrnium Dodonaei* per iconem, quae ad *Smyrnium Dioscoridis* attinet: nam pro certo habeo, icones *Dodonaei*, *Lobelii*, *Tabernaemontani*, *Parkinsonis*, *Gerardi*, et Joannis *Bauhini* ad *Smyrnium perfoliatum Millerii* potius quam ad *Smyrnium rotundifolium* hujusce auctoris pertinere; et unum *Mathiolum* ex botanicis seculi XVI recte delineasse *Smyrnium rotundifolium Mill. (S. Dodonaei Spr.)*, cujus iconem postea *Dalechampius* effingendo imitatus est. Hinc mihi videtur *Sprengelius* rem ornatius expleturus, si primo nomen *Smyrnium Matthioli*, et alteri *Smyrnium Dioscoridis* dedisset, aut nomina iisdem a dicto *Millerio* imposita servasset.

Accuratam quam optime potero, utrarumque plantarum nunc synonymiam expositurus, denominationes a *Millerio* adhibitas servabo, ne detrimentum progressibus scientiae afferatur.

116.

18. *Smyrnium rotundifolium Mill.*

S. foliis radicalibus subbipinnatis, foliolis ovatis

obtuse-serratis; caulinis orbiculatis, integerrimis, amplexicaulibus; caule tereti. *Nob. Mill.* Dict. De Jard. Vol. VII. p. 120. n. 2.

S. Dodonaei Spreng. Sp. Umbel. min. cogn. illustr. p. 24. n. 26. (exclus. plur. syn.) accurata descriptione. *Roem.* et *Schult.* Syst. Veget. Vol. VI. p. 437. (exclus. pl. syn.)

S. Dioscoridis Spr. Gusson. Catal. plant. Boccadifalc. pag. 59. (non *Sprengel*).

S. perfoliatum V.s *a Poir.* Encycl. Meth. 3. p. 2. pag. 638. ed. Patav.

S. creticum Matthiol. ed. Valgr. 1565. p. 774. icon bona quoad partem caulis superiorem, fictitia quoad folia radicalia. *S. creticum Matthioli, Dalechamp.* Hist. pl. I. p. 707. f. 3. ex *Matth. Ray* Stirp. Europ. Syllog. p. 238. Hist. I. p. 437. ex loc. natal. (excl. syn. *Ger. Lob. Park.* et J. *Bauh.*)

S. peregrinum rotundo folio C. *Bauh.* Pinac. p. 154. (exclus. synon. praeter icon *Matthioli.*). *Boerhaav.* Index alter. I. p. 54. n. 2. (exclus. synon.)

Haec species indigena est Siciliae in montibus Panormi, Cameratae, etc., unde ad me transmissa fuit a Clar. botanico D. *Gussonio. Ray* quoque in eadem insula apud *Punto Cerciolo* non longe a *Puzzallu* illam invenit. *Millerius* qui eam multos per annos excoluit, monet ipsam non immutari, sed jugiter ab altera sequenti diversam servari.

117.

19. *Smyrnium perfoliatum Mill.*

S. foliis radicalibus biternatis, serratis; caulinis superioribus cordato-ovatis, denticulatis, amplexicaulibus, caule superne alato *Nob. Mill.* Dict. d. Jard. Vol. VII. p. 120. n. 3. (cum omnibus synonymis). *Savi*, Due Centur. p. 75. (excl. syn. S. peregrinum rotundo folio *Bauh.* Pinac) *Sebast.* et *Maur.* Flor. Roman. Prodr. p. 116. n. 364. *Tenor.* Flor. Napol. prodr. *Petagn.* Instit. Botan. 2. p. 537. *Lumnitzer*, Flor. Poson. p. 121. n. 295. ic. *Host.* Synops. austr. p. 169. *Marsch.* Flor. Taurico Caucasic. n. 592. *Lois.* Flor. Gallic. 2. p. 722. *Decand.* Flor. Franc. Vol. VI. Suppl. p. 513. n. 3524. *Waldst.* et *Kitaib.* Plant. rar. Hung. I. p. 22. t. 23.

S. *Dioscoridis Spr. l.* n. p. 25. (excl. syn. *Matth.* et *Delechamp.*)

S. *peregrinum* folio oblongo C. *Bauhin.* Prodr. p. 82. Pinac. p. 154. n. XV. *Boerhaav.* Ind. alt. I. p. 54. n. 3.

Hipposelinum *Column.* Ecphras. 2. p. 21. ic. exacta.

Smyrnium creticum perfoliatum *Moris.* Histor. s. 9. t. 4.

S. Amani montis *Dodon.* Pempt. p. 698. f. 2.

S. *creticum Matthiol.* ed. *Bauh.* p. 566. f. 2. *Camerar.* Epit. *Matthiol.* p. 531. *Parkins.*

Theatr. botan. p. 930. f. 2. *Gerard.* emac. p. 1024. ic. *Zwinger* Theatr. botan. p. 713. fig. 3.

S. *verum*, *Discor.* et *Dodon. Dalechamp.* Histor. I. p. 707. fig. 2.

S. creticum perfoliatum *J. Bauh.* Hist. 3. p. 2. pag. 125.

Smyrnium Tabern. icon. I. p. 86. f. 2. *Lobel.* stirp. Histor. p. 407. f. 1. icon. p. 709.

Crescit in monte Gennaro apud Romam (*Sebastiani, Mauri*): ejusdem specimen accepi ab egregio *Orsinio* studiosissimo Asculi botanico, qui idem habuit a Clar. *Schouw* botanico Daniae, a quo in monte Gennaro solo evulsum fuit. Habitat quoque in variis partibus regni Neapolis (*Petagna, Tenore*); et illustris *Savius* ipsum invenit in monte *Po maremmae Senensis.*

118.

20. *Carduus Decandollii Nob.*

C. caule tomentoso; foliis decurrentibus utrinque tomentosis; floribus terminalibus aggregatis, sessilibus; squamis calycinis spinosis *Nob.*

C. arenarius Decand. Fl. Fr. Vol. VI. suppl. p. 457. n. 3015.ª (exclus. omnib. synon.).

Desc. Radix fusiformis sublignosa, fibris ramosiusculis praedita. Caulis 2 - 3 pedalis et ultra, ramosus, erectus, sulcatus, tomento niveo obductus. Foliis decurrentibus; radicalibus latioribus, sinuatis, pedalibus, tomentosis, margine spinosis; cau-

linis lanceolatis, sinuatis, spinosis. Flores 7 ad 10, in summitate caulis congesti, subsessiles, erecti. Calyx ovatus, squamis calycinis subulatis in spinam terminatis. Flores flosculosi omnes hermaphroditi. Flosculi purpurei quinquepartiti, laciniae aequales. Styli flosculos subaequantes. Semina compressa, nitida, ovato-oblonga. Pappus simplex, sessilis, albidus.

Crit. Haec *Cardui* species quam Illustris *Decandollius* a *Carduo arenario Desf.* haud diversam existimavit, ab eodem tamen quamplurimis characteribus differt. Clar. *Steven* in sua humanissima epistola Parisiis dictata mihi communicat ipsum *Desfontainesium*, ad quem exemplum mei *Cardui Decandollii* transmisi, illum tamquam diversissimam speciem habuisse. Primus *Decandollius* de nostra specie italica locutus est; quamobrem rationi congruum duxi, ab ejusdem nomine illam nuncupare. Is tamen sese fefellit, ad hanc plantam referendo iconem *Barrelierii*, *Carduus nemorosus italicus Pl. pr. Gall.* etc ic. 417., quae procul dubio ad *Cnicum strictum Tenorii* pertinet, sicuti Cl. *Bertolonius* jure admonuit.

Plurimum refert monere, hanc plantam, quo ad altitudinem, maxime variare; etenim ab uno pede usque ad quinque altitudinis crescit. Meam condidi descriptionem ex specimine mediocris altitudinis, quod apud muros primi ruris trans *Varzi* solo evulsi: specimina enim quae crescunt plerumque in nuda arena torrentis *Stafora*, saepe sae-

pius exiliora sunt, et tantummodo spithamea inveniuntur.

Saxifragae novae species.

(Confer. Sternbergii Revision. Saxifr. iconibus illustrat. Supplementum.)

119.

1. *Saxifraga marginata Sternbg.*

Char. spec. S. foliis radicalibus lingulato-obovatis, margine cartilagineo integerrimis glabris, floribus subcymosis, petalis calyce duplo majoribus. Tab. I. f. 1.

Syn. Saxifraga Cotyledon Tenore.

Patria: In Calabriae montibus apricis.

120.

2. *Saxifraga Merkii Fischer.*

Char. spec. S. foliis radicalibus integerrimis ovatis ciliatis glabris, caule paucifloro, petalis obovatis longe unguiculatis calyce duplo majoribus. Tab. I. f. 3.

Patria: In humidis montis Jablonoi chrebet.

121.

3. *Saxifraga amplexifolia Sternb.*

Char. spec. S. foliis obovato-oblongis serrato-dentatis glabris, radicalibus petiolis dilatatis canaliculatis, caulinis distantibus amplexicaulibus,

floribus paniculatis minutis, petalis lanceolatis calyce longioribus. T. II.

Patria: Unalaschka aleutorum.

122.

4. *Saxifraga melaleuca Fischer.*

Char. spec. S. foliis radicalibus spathulatis apice subdentatis in petiolum longum decurrentibus glabris, scapo nudo elongato, panicula secunda, pedunculis divaricatis, petalis lanceolatis calyce longioribus T. III. f 2.

Syn. Sax. elongata β Sternberg Sax. p. 9.

Patria: In alpibus altaicis Sejanensibus.

123.

5. *Saxifraga pauciflora Sternb.*

Char. spec. S. foliis radicalibus subrotundis seu ovato-subrotundis dentatis basi cuneatis in petiolum brevem decurrentibus, scapo piloso, petalis ovatis unguiculatis calyce majoribus. Tab. IV. f. 2.

Patria: Sibiria et Kamtschatka.

124.

6. *Saxifraga gracilis Stephan.*

Char. spec. S. foliis cordato-orbiculatis profunde dentatis, scapo subnudo racemoso, petalis sublanceolatis, calycibus post florescentiam reflexis. Tab. V. f. 1.

Patria: Sibiria.

125.

7. *Saxifraga exilis Stephan.*

Char. spec. S. foliis radicalibus palmato-quinquelobis, caulinis bracteiformibus integerrimis, caule filiformi paucifloro, petalis calyce triplo longioribus. Tab. III. f. 1.

Patria: Sibiria.

126.

8. *Saxifraga Stephaniana Sternb.*

Char. spec. S. foliis petiolatis palmato-multilobis, caulibus foliosis pilosis, petalis multinerviis calyces duplo superantibus. T. VI. f. 2.

Patria: Sibiria.

127.

9. *Saxifraga neglecta Bray.*

Char. spec. S. foliis radicalibus longe petiolatis, basi cuneatis, apice profunde dentatis glabris, caulibus radicalibus subaphyllis, superne ramosis multifloris, petalis calyces paulo excedentibus. T. VI. f. 1.

Patria: Sibiria.

128.

10. *Saxifraga compacta Sternb.*

Char. spec. S. foliis radicalibus confertissimis lingulatis leprosis integerrimis, caulinis inferioribus apice leproso-tridentatis, caule hirsuto paniculato. T. I. f. 2.

Patria: In Helvetiae alpibus (Seringe.)

129.

11. *Saxifraga Eschholzii Sternb.*

Char. spec. S. foliis arctissime imbricatis obovatis ciliatis, floribus solitariis brevissime pedunculatis, calycibus cochleatis, germine supero, rostris divergentibus. Tab. X. f. 2.

Patria: In sinu St. Laurentii.

130.

12. *Saxifraga Schraderi Sternb.*

Char. spec. S. foliis radicalibus et caulinis inferioribus longe petiolatis tripartitis, laciniis lateralibus bifidis linearibus, intermedia cuneiformi, tridentata, caule folioso piloso paniculato, petalis calycem excedentibus. Tab. VIII.

Patria: Ignota, sed per plures annos in horto botanico Göttingensi coltur.

131.

13. *Saxifraga Chamissoi Sternb.*

Char. spec. S. foliis radicalibus cuneatis cuspidato-trifidis ciliatis, caulinis plurimis lineari-lanceolatis integerrimis, caule adscendente paucifloro, floribus minutis. T. IX. f. 2.

Patria: Unalaschka aleutorum.

132.

14. *Saxifraga flavescens Sternb.*

Char. spec. S foliis radicalibus cuneato-trifidis, laciniis integris aut lateralibus dentatis acuminatis, laciniis superioribus integerri-

mis, omnibus glanduloso-ciliatis glabris, petalis calyce majoribus flavescentibus.

Patria ignota, „in hortum nostrum nomine *Sax.* caespitosae introducta, germanica certo sed locum natalem proprium ignoramus. Per sex annos culta faciem non mutavit.“ *Sternberg.*

133.

15. *Saxifraga uniflora* Sternb.

Char. spec. S. foliis radicalibus cuneato 5—7-fidis, lobis obtusis in petiolum brevem decurrentibus, caule folioso unifloro, petalis calyce duplo majoribus. T. IX. f. 1.

Patria: Germania, hab. in summis montis calcarei *Mösselberg* prope Donsdorf in regno Würtembergensi.

Descriptiones aliquot plantarum ex horto Imperiali Pawlowskiensi.

134.

1. *Lestiboudesia philippica Mihi.*

Char. spec. L. caule frutescente flaccido; foliis ovatis, oblique acuminatis, undulatis, pubescentibus; paniculis axillaribus terminalibusque.

Descriptio. Caulis frutescens, 8 — 10-pedalis, teres, pubescens, virescente-rutilans, undique ramosus. *Rami* alterni, rigidi, patentes, cauli similes. *Folia* alterna, ovata, basi interdum in petiolum desinentia, plus minus oblique acumi-

nata, undulata, undique pubescentia, nervosa, 1 — 3-pollicaria, 1 — 1½ unc. lata. *Petioli* ½ — 1-unciales, supra subcanaliculati, horizontales vel reflexi, rigidi. *Paniculae* aut axillares simplices aut terminales subramosae, pubescentes, 1 — 2-unciales. *Flores* sparsi, breviter pedunculati, parvi, virescenti-flavescentes. *Squamulae* minutae, lineares, acutae vel obtusae, sphacilatae. *Calyx* quinquepartitus vel potius quinquefidus, viridis; laciniis reflexis, excavatis, albo-marginatis. *Corolla* nulla. *Stamina* quinque basi in cyathulum edentulum connata (exacte ut in Lest. virgata) patentissima, calyce longiora, longe persistentia. *Antherae* albae, biloculares. *Stylus* brevis. *Stigmata* tria, (rarissime duo) filiformia, recurva. *Capsula* unilocularis, polysperma.

Patria: Manilla. ♄. Floret (in Calidariis notris) primo vere.

135.

2. *Canna Buckii Mihi.*

Char. spec. C. corollae limbo interiore trifido: laciniis oblongis oblique patentibus, ad apicem revolutis, emarginatis; nectario revoluto, profunde emarginato; foliis lanceolatis, acutis, petiolatis, glaucescentibus.

Descriptio. *Caulis* quadripedalis, compressus. *Folia* sesquipedalia, 4 — 5 pollices lata, enervia, acuta, in petiolum desinentia; membrana hyalina marginata. *Flores* paniculati, geminati, pedicellati: pedicellis inaequalibus. *Rachis* obtuse

trigona. *Bractea* unica ad basin pedicellorum membranacea, marcescens. *Sepala* tria, membranacea, obtusa, emarginata, inaequalia. *Corolla* sesquipollicaris; segmentis tribus exterioribus lanceolatis, reflexis, pallidioribus, tribus interioribus aureis, spiraliter positis, patentibus, inaequaliter emarginatis. *Filamentum* lanceolatum, revolutum, subemarginatum. *Stylus* linearis, obtusus. *Nectarium* revolutum.

Patria: Jamaica. ♃.

Floret (in Calidariis nostris) per totam aestatem. Pulchra species!

136.

3. *Sida amoena Mihi.*

Char. spec. S. foliis cordato-ovatis, obtusis, subtus subtomentosis; stipulis filiformibus; pedunculis axillaribus petiolo longioribus; capsulis octo apice bicuspidatis.

Descriptio. *Caulis* fruticosus, 4—5 pedalis, ramosus. *Rami* alterni, subtomentosi. *Folia* alterna, petiolata, cordato-ovata, obtusa, inaequaliter crenata, ciliata, supra pubescentia, subtus subtomentosa, 2—2½ unc. longa, 1⅓—2 unc. fere lata, nervosa, mollia. *Pedunculi* axillares, uniflori: petiolis longiores, stricti. *Flores* aurei, venosi, unciales. *Petala* obcordata, emarginata, undulato-crispata, ¾ unc. fere lata. *Capsulae* octo, biaristatae.

Patria: China. ♄.

Floret Julio, Augusto (in Calidariis nostris.) Pulchra species!

Proxima Sidae truncatae Cavan. Willd. Sp. plant. 3 pars 1. p. 756.

137.

4. *Ocimum villosum Mihi.*

Char. spec. O. caule frutescente, sulcato, piloso; foliis ovatis, acutis, crenatis, in petiolum desinentibus, utrinque villosis; racemis terminalibus, simplicibus; bracteis ovatis, acuminatis, subpetiolatis, calycibus piloso-hispidis; labio inferiore quadriaristato; aristis intermediis minoribus approximatis.

Descriptio. *Caulis* fruticosus, erectus, quadrangulus, sulcatus, pilosus, angulis obtusis, purpurascentibus (in Calidariis) tripedalis. *Rami* oppositi, patuli, cauli similes. *Folia* opposita, petiolata, ovata, acuta, crenata, utrinque villosa, basi in petiolum decurrentia, integerrima, 4 — 5 unc. longa, 3 unc lata. *Petioli* semiteretes, pilosi, 1 — 1½ unc. longi, fere horizontaliter patentes. *Racemi* terminales, simplices, ante florescentiam cernui, peracta florescentia erecti, nudi, 6 — 8 unc. longi. *Verticilli* sexflori. *Brateae* ad pedunculorum basin duae oppositae, sub-petiolatae, ovatae, acuminatae; margine involutae, reflexae. *Calyx* bilabiatus, nervosus, piloso-hispidus, brevissime tubulosus. Labium superius ovatum, subacutum, integerrimum, ciliatum, inferius quadriaristatum; aristis exterioribus patentibus, pur-

purascentibus, ciliatis, interioribus brevioribus, approximatis, viridibus. *Corolla* parva, sordide albescens: marginibus rubicundis, bilabiata, pilosa. Labium superius quadripartitum: lobis obtusis; labio calycis superiori aequale; inferius ovatum, concavum, crenulatum; labio calycis inferioris longius. *Stamina* didyma corolla longiora. Filamenta teretia, edentula, fauci corollae inserta. *Stylus* filiformis, directione staminum. Stigma bifidum.

Sub nomine Ocimi gratissimi semina e Hollandia missa. Floret Julio, Augusto. ♄

Patria: — —?

138.

5. *Cleome brasiliensis Mihi.*

Char. spec. C. floribus hexandris; foliis inferioribus ternatis, superioribus quinatis, margine undulatis; stipulis spinescentibus.

Descriptio. Caulis 1 — 2-pedalis, ramosus, subangulatus: pilis longis brevibusque glanduliferis (ut tota planta) obsessus. *Rami* alterni, erecto-patuli, rigidi, cauli similes. *Folia* alterna, petiolata, inferiora ternata, superiora quinata, foliola intermedia elliptica, acuminata, lateralia oblique cordato-ovata, omnia margine undulato-crispata, 1 — 3-uncialia, nervosa. *Petioli* teretes, superne paullulum carinati, 2 — 4 unciales, oblique patentes. *Stipulae* spinescentes, breves, recurvi. *Racemi* simplices, foliosi. *Flores* pedunculati, parvi: pedunculis $\frac{3}{4}$ unc. longis, horizonta-

liter patentibus. *Folia* floralia simplicia, cordata, acuta, petiolata: petiolis 2—3 lin. longis. *Petala* adscendentia, albescenti-virentia. *Stamina* sex corolla longiora. *Stigma* subglobosum. *Siliqua* teres, recurva.

Patria: Brasilia. ♄. Floret (in Calidariis nostris) Augusto.

139.

6. *Agaricus cepaestipes Sowerb.*

Syn. Agaricus (Coprinus?) cepaestipes Pers. Syn. Fung. pag. 416. (excluso Synonymo Bulliardiano). — Agaricus cepaestipes Fries Syst. mycolog. pag. 280 (inter Species inquirend. enumerat.)

Char. spec. A. cohaerens, totus candidus, olidus; pileo carnoso-membranaceo, conico-campanulato, floccoso; lamellis liberis; stipite subfistuloso, constricto; annullo fugaci.

Descriptio. Totus fungus mollissimus, elegans, subtenax. Pileus 1—1¼ unc. altus, vel 2½ unc. latus, umbonatus: umbone subsordido; floccis valde deciduis dense obsessus. Lamellae 2 lin. latae, tenaces, undique attenuatae a stipite remotae. Stipes subfistulosus, intus floccis repletus, 5—6 uncias longus, apice 1 ad basin 3—4 lineas crassus, hinc inde constrictus. Annulus 1—1½ lin. latus, fugax. — In statu seriori totus fungus saepe cinerascens fit. Odor fortis suballiaceus.

Per tres annos observavi in Calidariis nostris hunc fungum onustissimum, ubi in cortice totas

plagas tegit et saepe 5 — 30 individua arcte cohaerent.

Valde affinis Agarico luteo Bolt. tab. 50. et Agarico cretaceo Bull. tab. 374. Fries Syst. mycolog. pag. 280.

Cum hac specie in calidariis nostris etiam proveniunt: Agaricus clypeolarius Bull. tab. 506. fig. 2. Agaricus volvaceus Bull. tab. 262. — Agaricus clypeolarius Bull. in calidariis nostris totos firmosque cespites format tactuque digitos colore sanguineo inquinat.

J. A. Weinmann.

Diagnoses nonnullorum novorum Generum et Specierum plantarum, quae in fasciculis 1 — 5 Collectaneorum botanicorum a John Lindley editorum descriptae et delineatae sunt. — Communicavit Dr. Hornschuch.

(Continuatio. Confer. Sylloge pag. 37.)

140.

13. *Oncidium barbatum Lindl.*

Char. spec. O. foliis planis oblongo-lanceolatis, laciniis perianthii obovatis undulatis obtusis; inferioribus basi connatis; labello transverso laciniis breviore: lobo medio barbato, apice producto imberbi semi-bifido, lateralibus ma-

joribus planis rotundatis, alis columnae rotundatis.

Patria: In viciniis Rio Janeiro *Will. Swainson Esq.* legit.

141.

14. *Spiranthes pudica Lindl.*

Char. spec. S. foliis lineari-lanceolatis, labello subsessili apicem versus crenulato: callis subrotundis, perianthii laciniis ovario rachique glaberrimis.

Patria: Habitat in China.

Lissoschilus Br. Mss.

Char. gener. Nat. Ord. Orchideae Sect. 5 Br. Linn. Syst. Gynandr. Monandr. Perianthii laciniae interiores maximae, patentes, alaeformes; exteriores minimae, reflexae Labellum anticum, gibbosum, sulcatum, porrectum; basi auriculatum, saccatum, cum columna connatum. Pollinis massae 2, postice 2 lobae, per processum communem dilatatum gynizi apice connatum cohaerentes.

Herba terrestris bulbosa. Folia longa, plana, carnosa, enervia, ensiformia. Flores lutei speciosi, alati, in racemo simplici dispositi.

142.

15. *Lissoschilus speciosus Br. Mss.*

Syn. Satyrium giganteum Linn. Suppl. 402?

Patria: In Cap. Bon Spei.

143.

16. *Cypripedium insigne Wallich Mss.*

Char. spec. C. aqaule, foliis cartilagineis ligulatis, scapo piloso dimidio brevioribus, perianthii lacinia superiori fornicata emarginata: lateralibus obovatis subundulatis obtusis extus pubescentibus; inferiore labello nervoso basi inflexo paulo longiore.

Cattleya Lindl.

Char. gen. Nat. Ord. Orchideae Sect. 5 Br. Linn. Syst. Gynandr. Monandr. Perianthium resupinatum patens laciniis subaequalibus. Columna libera semiteres, labello eroso cucullato amplexa. Anthera infra apicibus, opercularis persistens, columnae apice subulato supertecta 4 locularis: septis completis membranaceis marginatis. Massae pollinis 4 lenticulares per pares filo elastico granulato in ipsis reflexo connexae.

Herbae parasiticae (America aequinoctialis); bulbis fasciculatis; foliis solidariis carnosis, enervibus; floribus terminalibus geminis grandibus subodoris.

144.

17. *Cattleya labiata Lindl.*

Char. spec. C. perianthii laciniis exterioribus lineari-lanceolatis acutis, quam interiores triplo angustioribus, labello indiviso.

Patria: In Brasilia *Will. Swainson Esq.* legit.

145.

18. *Murucuja Baueri Lindl.*

Char. spec. M. foliis trilobis subtus sparsim glandulosis: lobis oblongis retusis medio productiore, bracteis stipulisque setaceis, radiis filiformibus corona plicata longioribus, disco quinquelobo.

Patria: In Nova Hollandia Ferdinand Bauer legit.

Dr. Hornschuch.

Jungermanniarum species

a Funckio, Viro cl. tum in Sudetis montibus, tum in Germaniae australis alpibus collectas, revidit Neesius ab Esenbeck.

Cum ipsis his diebus in manus venissent *Jungermanniae* generis species aliquot a *Funckio* nostro e binis itineribus, quae annis 1820 et 1821 instituit, relatae mihique humanissime ab eodem communicatae, haud alienum a hujus libelli proposito visum est, quae novae inter eas occurrebant vel species vel varietates, eas hic paucis describere, reliquarum omnium, quae vulgatiores coram habemus, nomina saltem adnectere, ut alii, qui posthaec illas regiones sunt adituri rei, a nobis non satis absolutae, memoriam teneant meliusque consulant speciebus, fructu deinceps detegendo illustrandis.

Species sudeticae Anno 1820 lectae.

1. *Jungermannia julacea Hook.*

2. *Jungermannia polyanthos Mart.*

Syn. Jung. Taylori Hook. Brit. Jung. tab. LVII.

Crit. Diversissima haec est a J. polyantho Hook., cum J. grave lente M. jungenda. J. polyanthos *Mart.* proxima ad J. Sphagni accedit.

3. *Jungermannia lanceolata Mart.*

Syn. J. anomala Hook. Brit. Iung. t. XXXIV.

4. *Jungermannia emarginata Ehrh.*

Obs. Duae memora' iles adsunt varietates, seu formae ejusdem speciei:

α. patens caule firmo, foliis patentibus, sarmentis radicantibus crebris. Vid. Hook. Br. J. t. VI.

β. *julacea*, caule laxiore subsimplici, foliis dense bifariam imbricatis concavis, sarmentis radicantibus parcis.

Descriptio. Caulis $\frac{3}{4}$ — 1 poll. longus, subsimplex vel ad basin uno alterove ramo simplici praeditus, decumbens saepiusve ascendens, nudus, virescens, hinc inde stolonifer, stolonibus radiciformibus elongatis simplicibus remote squamuloso-denticulatis. *Folia* fere ut in J. concinnata dense imbricata, nunquam patentia, ovato-orbiculata, concava, amplexicaulia, integerrima, apice obtuse incisa, laciniis brevibus rotundatis approximatis. *Areolae* retis spissae, hinc folia opaca, coloris pallide et sordide rufescenti-virentis. Fructus deest.

146.

5. *Jungermannia fluitans. n. sp.*

Char. spec. J. (exstipulata) caule simplici fluitante, foliis remotis semiverticalibus patentibus subrotundis bifidis, lobis ovatis obtusis approximatis.

Syn. Jungermannia emarginata β. aquatica Sw. Mspt. Hook. Br. Jung. t. 27. Schrad. Spicil Fl. germ. p. 75. Web. Prod. p. 75. Obs.

Descriptio. Caules biunciales et ultra, filiformes, plerique simplicissimi, crassitie aequales, virides, glabri, horizontales. Folia satis magna, distantia, ita ut caulis inter ea maxime appareat, disticha, subsemiverticalia, obliqua, margine superiori saepius reflexa, integerrima, apice brevi spatio incisa, laciniis obtusis subcontiguis. Retis areolae laxae 5—6 gonae. Color pallide virescens. Fructus non occurrit.

Patria: Incolit aquas stagnantes in summo Sudetorum jugo, in s. d. Weifswiese.

Observatio. Et haec forte varietas habenda est praecedentis speciei vi aquae circumdantis extenuata. Differt tamen a J. emarginata foliorum insertione non tam verticali (i. e. ea, qua folii planum cum caule recto angulo junctum est) sed obliqua et ad horizontem una cum caule descendente, tum partium laxitate cauleque simplicissimo ubique inter folia emicante.

6. *Jungermannia concinnata Ligthtf.*

Patria: inter rupes diffractas in summo Sudetorum jugo.

7. *Jungermannia bicrenata Schmiedel.*

Obs. Var. foliorum laciniis plerumque acutis conniventibus.

Crit. A J. inflata et ventricosa Schmiedeliana ista species evidentissime differt: foliis omnibus adscendentibus superne conniventibus dense imbricatis, colore pallido. Specimina sudetica magis quam illa quae in aliis Germaniae locis collecta vidimus, dividuntur in ramos et valde implectuntur cespiti *Jungermanniae* trichophyllae.

Patria: in Sudetis nec non in Salisburgi monte Untersberg.

8. *Jungermannia undulata Linn.*

Obs. Et hujus memorabilem varietatem attulit *Funckius*, caule elongato foliisque subintegerrimis insignem.

Patria: in Sudetis ad saxa in sic dicto Weiswasser prope Wiesenbaude.

9. *Jungermannia Schraderi Mart. Fl. Erlang.*

Syn. J. scalaris *Hook.*

Patria: in Sudetis, Aupagrund.

10. *Jungermannia heterophylla Schrad.*

Patria: in Sudetis ad truncos putridos im Elbgrunde.

11. *Jungermannia Floerkii W. et M.*

Syn. J. barbata *Hook.*

Patria: in Sudetis, ad latera fossarum in Weifswiese copiose; nec non in Carinthiae rupibus.

12. *Jungermannia deflexa Mart. Fl. Erlang.*

Patria: in rupibus Sudetorum nec non in Salisburgi monte Untersberg.

13, *Jungermannia saxicola Schrad.*

Patria: in Sudetorum summo jugo inter saxa auf der Schneekoppe.

14. *Jungermannia ciliaris Web.*

Obs. Varietas major quae est J. Leersii *Roth.*

Patria: in Sudetorum fossis auf der Weifswiese. Species in alpibus anno 1821 collectae.

15. *Jungermannia trichophylla L.*

Patria: Bavaria ad truncos putridos im Alpgarten prope Reichenhall.

16. *Jungermannia julacea Hook.*

Obs. β. clavuligera. Minute dense caespitosa foliisque in ramulis brevibus tam arcte imbricata, ut istos quispiam haud inepte pro solidis plantae partibus habere posset. Color inferne obscure fuscus, in ipsis clavularum apicibus argenteo micans.

Patria: Carinthia superior; in summo jugo auf dem Kaiser Thörl, Pasterze, Nafsfelder Tauern, ubique ad nivium margines.

17. *Jungermannia collaris Mart. Fl. Erl. Praef.*

Patria: in rupibus in valle s. d. Möllthal.

18. *Jungermannia hyalina Hook. Br. Jungerm. Tab. LXIII.*

Patria: ad terram in alpe Pasterze Carinthiae superioris.

19. *Jungermannia inflata Hudson.*

Patria: in alpe Pasterze, nec non in Taurero Raurisiense.

20. *Jungermannia ventricosa Hook.*

Syn. J. biscuspidata γ. graveolens *Mart.*

Patria: Carinthiae superioris alpes.

21. *Jungermannia connivens α. Mart. Fl. Erl.*

Patria: in Salisburgi monte Untersberg prope fontem Principis.

22. *Jungermannia Baueri Mart.*

Patria: in iisdem cum praecedente locis, in lignis putridis.

23. *Jungermannia barbata Mart.* et *Florist. Germ.*

Patria: in monte Untersberg et prope Heiligenblut.

24. *Jungermannia undulata Ehrh. Var. maj.*

Patria: Carinthia; in rupibus madidis prope Heiligenblut.

25. *Jungermannia resupinata Hook.* (non Mart.)

Patria: in iisdem cum praecedente locis.

26. *Jungermannia minuta Hook.*

Syn. J. Weberi var. α. major Mart. β. foliis arctius imbricatis.

Patria: in Salisburgi rupibus montis Untersberg.

27. *Jungermannia exsecta Hook.*

Patria: in Salisburgi valle Gastuno.

28. *Jungermannia polyanthos Hook.*

Patria: Carinthia; im Möllthale.

29. *Jungermannia tricrenata Wahl. Carp.* 1207.

Patria: in Carinthiae alpe Pasterze.

30. *Jungermannia deflexa Mart. Fl. Erlang.*

Patria: in rupibus montis Untersberg prope Salisburgum.

147.

31. *Jungermannia viridula Nees.*

Char. spec. J. (stipulata ordine simplici) caule erecto dichotomo fastigiato filiformi, foliis distiche imbricatis deflexis inaequaliter 3 — 4-fidis, amphigastriis subcontiguis trifidis, lacinia media obtusa.

Descriptio. Caulis inter muscos ascendens, circiter semuncialis, tenuis, viridis, glaber nec radiculosus, dichotomus, ramis subpinnatim ramulosis, ramulis omnibus obtusis, inferioribus brevissimis dissitis, superioribus elongatis subfastigiatis, unde rami fere fasciculati apparent. Folia

in caule et ramis dense incubo-imbricata, disticha, ovata, deorsum inflexa, tri-vel quadrifida, inferiora pallide-superiora laetius viridia, laciniis conniventibus obtusiusculis inaequalibus, inferioribus minoribus. Amphigastria subcontigua, lata, ovato-quadrata, trifida, laciniis ovatis, lateralibus acutiusculis, intermedia obtusa, interdum obiter bifida. Retis areolae, tam foliorum quam amphigastriorum, amplae, subhexagonae, limitibus crassiusculis. Fructus desideratur.

Critica. Differt a *J. reptante*, cui proxima:

1. caule erecto nec decumbente, nudo nec radicante, ob folia valde decurva teretiusculo, nec plano;
2. ramis simpliciter et fastigiatim pinnatis, nec bi-vel tripinnatis, obtusis neque apice plerisque rimum attenuatis;
3. stolonum radicantium defectu.

Alia est, quacum jungi hanc nostram jubet praeclarissimus Hooker in literis.

J. albescens, caule repente ramoso, foliis valde concavis propemodum hemisphaericis emarginatis, stipulis ovato-lanceolatis obtusis, fructu in ramis brevibus terminali, calicibus oblongo-ovatis, ore dentata. Hook Brit. Jung. tab. LXXII et Suppl. tab. IV. *Patr.* Hab. in summis montibus Scotiae, v. c. Ben Newis et Cairngorum. At vero, quod pace tanti viri dictum sit, post curiosissimum rursus examen in nostris plantis institutum, obstare videbantur gravissimi quaedam momenti, quo

minus in hanc sententiam transeamus. Ejusmodi sunt praesertim

1. *folia*, in J. viridula densissime imbricata, supra convexa, apicibus deorsum inflexa, inaequaliter trifida, in adultioribus autem quadrifida, neque, ut in J. albescente, remota, disticho-verticalia, amplexicaulia, concava, apice emarginata dentibusque conniventibus brevibus praedita;
2. *amphigastria* approximata, subcontigua late ovata semper trifida, nec remota lanceolata, integerrima;
3. *caulis* erectus vel maxime saltem adscendens, nudus, qui in J. albescente repens et radiculas teneras emittens offenditur.

Distinctam itaque proponere, quam jungere, vel tanto viro praeeunte, maluimus.

Patria: Carinthia superior, in rupibus bey dem Gösnizwasserfall zu Heiligenblut.

Scinaia

*algarum marinarum novum genus; auctore Barone Bivona.**)

Char. gen. Frons membranacea, laevis, tubulosa, ramosa. Tubi extus glabri, intus filamentosi, gelatina solidiuscula repleti, filamentis centro,

---

*) In honorem celeberrimi Dominici Scinà, Physices Historiae naturalis literariaeque patriae optime meriti, nec non in grati animi mei perpetuum documentum hoc genus nominavi.

intertextis in funiculum axiforme. Capsulae tuborum parieti interno adhaerentes.

148.

Scinaia forcellata.

Char. spec. S. purpurea, tubis teretibus, dichotome ramosissimis, fastigiatis.

Syn. Forcellata *Ferrante Imperato Ist. Nat. p.* 736.*)

Fucus forcellata, lumbricalis species Imperati *Cup. Pamph.* 3. *t.* 105.

Descriptio. E basi scutata, parva, membranaceo-cartilaginea caulis assurgit et ipse membranaceo-cartilagineus, teres, solidus, dichotomus, brevissimus, semilineam in diametro latus.

Tam ex lateribus, quam ex apicibus parvi hujus sustentaculi prodeunt in densissimum caespitem in aqua fluctuantem tubi plures, tres pollices circiter alti, pennae gallinaceae crassitie, teretes, laeves, lubrici, a basi ramosi, fastigiati, dichotomi, dichotomiae angulo acuto, conformes, aequales, subtransparentes, intus repleti gelatina soliduscula, apice acutiusculi vel obtusiusculi, coeci, persaepe binis exiguis futurorum ramorum rudimentis terminati, aetate florenti purpureo-rubri, senectâ viridi-flavescentes, vel flavescentes-albidi, transversim aut longitudinaliter secti haud contractiles.

---

*) » La forcellata è nel numero delle lumbricare, che dal pedale con succession d' inforcature frequenti si divide in rami, e finalmente termina in piccole forcelle. Alza circa un terzo di spanna, e il suo colore è nel biondo e purpureo « Imperato loc. cit.

Tubi hi microscopio composito valde augenti subjecti, structuram offerunt sane singularem: membrana nempe apparent compositi, tenui, utriculari, utriculis rotundis, parvis, superficie exteriori glabra, interiori filamentosa.

Filamenta singula, quae tenuissima, dissepimentis remotis instructa, dichotoma vel simplicia, cristallino-pellucida, e superficie membranae internae proficiscuntur, massam gelatinosam per transversam semitam usque ad diametri tubi dimidium excurrunt, ibique omnes successive coeunt, inflectunt atque sese conglomerant, funiculum axiforme sive columellam sic efformantia.

Capsulae copiosae, interno tuborum parieti sparsim adfixae ope praecipue filamenti unius majoris, pleraeque globosae, paucae obovatae, omnes solitariae, sessiles, centro obscurae, ut puncta vel maculae coloris saturatioris frondem notantia oculo nudo ad lucem sese offerunt, et non nisi tuborum ipsorum destructione a situ suo solutae exeunt.

Siccata extremitatibus praecipue chartae adhaeret.

Aqua iterum irrorata pressa manet.

Nomen vernaculum nullum habet.

Patria: Ad litora maris ab undis rejecta hieme et vere prope Panormum et Neapolim reperitur.

Obs. I. Spongodio *Lamour.**) sive Lamarchiae *Olivj***) et *Stack.****) quodammodo accedit Scinaia genus, sed pluribus notis differt et 1. ha-

*) Lamouroux Ann. du Mus. An. 1813.
**) Olivi Zoologia adriatica p. 255. tab. VII.
***) Stackhouse Nereis Britannica Edit. 2. p. X.

bitu generali; 2. laevitie et structurâ frondis; 3. frondis ipsius cavitate materie gelatinosâ repleta; 4. directione et nexu filamentorum; 5. fabricâ et situ capsularum; 6. vi elastica nulla.

Obs. II. Caveant observatores botanici ne vacuum illud, quod inter novae dichotomiae rudimenta ad apicem tuborum conspicitur, pro poro habeant.

Ad Hoppeum, virum in re herbaria peritissimum, de Malvis germanicis epistola Frederici Wallrothii.

De plantis agro halensi indigenis difficilioribus nuper scripturus, multas quidem neutiquam vero omnes stirpes dubias examini rato subjicere et opusculi finibus angustis accommodare potui. Aliae supersunt innumerae, quae quamvis per saecula auctorum σκέψιν feliciter eluserint, mihi tamen de illarum differentiis solertius cogitanti, difficultates plane inexspectatas obtulerunt, tum ex auctorum dissensionibus et negligentia, tum ex stirpium ipsarum natura versipelli denuo ingravescentes. Ne igitur sive in hucdum descriptis persistere videar, sive stirpium quarumdam historiam, literis quidem neutiquam autem typis traditam, diutius reticeam, institui apud me, singulos titulos seorsim tractare et secundum observationum concentum emendare et expolire. En! igitur, Vir clarissime,

de Malvis florae germanicae indigenis, διάσκευη nova, ea potissimum mente Tibi destinata, ut non solum ex illa, aestumationis assensum percipias sed quoque me et scripta Tua et merita de stirpium patruarum historia, famae perenni dignissima magni fecisse meque Tibi addictissimum esse, intelliges.

Me Malvarum trivialium illarum et diutius jam ad trutinam vocatarum sertum Tibi consacrare, miraberis forsan. At reputes mecum, rogo, omnium hucdum datarum definitionum, ex partibus sive ignobilibus plane sive saltem vicissitudinibus improvisis obnoxiis desumtarum ambiguitatem nefandam, quo Malvae patruae gravius quam aliae premuntur; intuearis quaeso descriptionum brevitatem ipsasque dissensiones de singulis speciebus, miram insuper teneas specierum adfinitatem in ordine naturali mutuamque, quam illo jubente, inter se ineunt communionem et concedes me cum harum stirpium examine non temere acturum esse. In differentiis specierum essentialibus explorandis, omnes ex foliorum figura speciali, superficie et caulis directione, quibus scilicet auctores fidem plenam adscripserunt, ludicras perspexi ac satis ambiguas; alias exquirere institui et certiores et graviores eaeque in fructu exstant perquam idoneae, ad quas videlicet specierum definitiones ita expolivi, ut primarias ex arilli fabrica, receptaculi indole et laciniarum calycinarum cum receptaculo et seminibus in orbem digestis proportione, secundarias autem ex petalorum foliorumque figura et caulis directione agnoverim, phrases ita prorsus expoliverim, ut cujuslibet spe-

cici cognitio sub quavis conditione pateat et quivis partium externarum deflexus ad earum gravitatem taxari possit atque recognosci.

K e t m i a.

Pedunculi plures axillares subverticillati effusi, infra apicem callosi. Folia subintegra s. 5 — 7 angulata. Calyx fructum muniens nec obtegens. Semina orbicularia arillata, latusculis contiguis in fructum polyspermum casei s. rotulae instar depressum conferruminata. Receptaculum centrale molendinaceum compositum: inferioris laminae horizontaliter porrectae: superioris, adscendentes, pyramidutae, corculo umbilicali obsoleto coronatae, seminum hilo utroque latusculisque appensae. Radices annuae et perennes.

149.

1. *Malva neglecta Wallr.*

Char. spec. M. seminum arillis pubescentibus immarginatis dorso latusculisque laevigatis, calyculi foliolis linearibus, laciniis calycinis ovatis corolla duplo brevioribus receptaculum lenticulare attingentibus, pedunculis fructiferis declinatis, foliis suborbiculatis obsolete-5 angularibus, caule diffuse prostrato. — Flor. Dan. t. 721. *Schk.* t. 192. (opt.), *Engl. bot.* t. 1092.

Syn. M. rotundifolia *Linn. sp. pl.* ex synon. *Bauh.* nec flor. suec. et herb. — *Poll. Leyss.*

Hoffm. Leers. Willd. Schk. Roth. Spr. et omnium auct. Fl. germ. exclus. syn. Linn.

M. sylvestris perennis decumbens, flore minore albo, folio rotundo *Moris. hist.* s. v. 521. t. 17. f. 7.

M. sylv. folio rotundo *C. Bauh. pin.* 314. cum synonym.

Patria: In suburbiorum areis desertis, juxta plateas spurcas, parietes, sepes, in quibus assurgit, in sterquiliniis et ruderibus abundat cum Lappis, Chenopodiis et Polygonis. Fl. Junio inde per totam aestatem.

Descriptio: *Radix* fusiformis, extus et intus alba biennis *Caules* herbacei, teretes, primo vere constipati, demum effusi, undique protensi, decumbentes, in sepibus assurgentes ramulosque similes, patentes emittentes, pilis raris e bulbo provenientibus variis, nunc simplicibus, furcatis obsoleteque stellatis, praesertim in fastigio adspersi iisque cum papillis subtilissimis intermixtis, scabriusculi. *Folia* alterna semi-orbicularia, ovato-obtuseque dentata, nunc integra, nunc ex lobis obtusis parce-obsoleteque-5-7 loba s. quinquangularia, inferiora basi subcordata, reliqua in sinus rotundatos quidem at patentissimos expansa, illa 7-haec 5-nervia, juventute plicata, supra pilis bi-tri furcatisve, subtus similibus magisque stellatis adpressisve adspersa. *Petioli* semiteretes, basi obsolete-trigoni, superne depressi, leviter excavati, caulis more scabriusculi, secundum variam aetatem et sedem variae longitudinis, inferiores valde prolixi. *Stipulae* ovatae,

acutiusculae, latitudine, figura speciali et integritate varii, saepius alternatim hinc excisae, margine ciliatae. *Pedunculi* teretes, inaequales, nubiles erecto-patentes, fructiferi reflexi indeque declinati, numero varii. *Flores* inexplicati et dormientes convoluti, meridie expansi, calyce duplo majores; petala ovata; apice obtuso biloba in basin abrupte-attenuata, ultra illam venis carneis basi simplicibus, apicem versus expansis et rosam amplius spargentibus picta, dilute-rosea. *Calyculi* foliola linearia, adpressa; interiora duplo breviora, acuta. *Calyx* semi-5-fidus: laciniae ovatae, acutiusculae, demum inflexae, semina munientes et receptaculum centrale plerumque attingentes, nonnisi etiam superantes. *Germina* in fructum depressum, circinatum cum receptaculo interjecto lentiformi aequalem conferruminata, 12—18. *Seminum arillus* immarginatus, dorso laevigatus, pube brevi porrecta constipata adspersus, raro glabratus, dilute-fuscescens. *Semina* conformia, subtilissime punctulata, nigra. *Receptaculum* immaturum cum germinibus aequale, demum urceolato-depressum, glabrum, corculo umbilicali obsoleto coronatum.

En amice! plantam pervulgatissimam novo nomine inscriptam, quae cum boreali commutata, neglecta quidem at distinctissima, observatores ad hunc diem elusit.

150.

2. *Malva rotundifolia Linn. suec.*

Char. spec. M. seminum arillis marginatis

pubescentibus dorso scrobiculato-rugosis, latusculis transversim striatis, calyculi foliolis linearibus acutis, laciniis calycinis ovatis ciliatis petala corollae oblongo-lanceolata subaequantibus receptaculumque contractum subattingentibus, pedunculis fructiferis declinatis, foliis suborbiculatis obsolete-quinquangularibus, caule prostrato. — Engl. bot. t. 241. *Sw. bot.* t. 142.

Syn. M. rotundifolia *Linn. Suec.* n. 626. *Sp. pl.* pro parte et excl. syn. aliorum, *Wahlenb. upsal.* 235. excl. syn. *Willd.*, var. *β. Smith. brit.* II. 741. *Pers.* ench. II. 251.

M. pusilla *With. Engl. bot.* l. c.

M. parviflora *Huds. angl.* 307.

M. minor, flore parvo coeruleo *Dill. in Raj. Syn.* 251. teste *Sm.*

Patria: In aggeribus, ruderibus, ad vias, in solo terso, in agro thuringiaco (circa Heringam; Artern), in halensi (ad Lauchstaedt, Wansleben et alibi), cum Poa dura, Convolvulo arvensi; in Suecia ubivis locorum. Fl. cum antecedente.

Crit. Eadem plane adfinitas et similitudo, quam M. sylvestris cum M. mauritiana, M. verticillata cum M. crispa, M. Alcea cum M. moschata eaque itidem cum M. Tournefortiana fingunt, in hac specie cum antecedente redit simulque imposuit, ut ejus valor specificus tamdiu latuerit. Caulis directione, foliorum figura praecedentem, fructuum figura, arillorum fabrica sequentem exacte aemu-

latus, petalorum et laciniarum calycis exterioris et interioris proportione ab utraque distat et M. parvifloram potius accedit, hincque potissimum ob differentiarum ad utramque vergentium rationem inversam, ob receptaculi molem in hac cum petalis simul ut in M. sylvestri, grandiflora, imminutam et arillorum fabricam, ex aliarum adfinium exemplis satis stabilem ac inconcussam, denuo distinguenda est, ad quam insigniendam M. rotundifoliae nomen Linnaeanum in fl. suec. primum usitatum sancte retinui, quamvis etiam idem titulus in Sp. pl. ob C. *Bauhini* synonymon adscriptum et ad praecedentem citandum, vagus esse videtur.

Descriptionis loco, quae multa cum priore communia habet, differentias suscinctas subscribere lubet. Differt enim nostra ab antecedente:

1. habitu rigidiore, compactiore, saltem in nostris;

2. caulis, pedunculorum, petiolorum et calycis pilis substrigosis;

3. foliolis calyculi acutioribus et angustioribus;

4. pedunculis brevioribus, nonnisi fructus subaequantibus;

5. laciniis calycinis margine ciliatis, apice subcomplicatis, receptaculum centrale fere attingenti &c.

6. petalis corollae oblongo-lanceolatis, truncatis, leviter emarginatis, erectis, concoloribus, albentibus, fere cum nitore margaritaceo, minimis calycem subaequantibus vel saltem parum superantibus.

7. fructibus minoribus et paullo crassioribus;

8. arillo testaceo, maturo elevato-marginato dorso latusculisque exarato-nervosis s. scrobiculato-rugulosis, modo glabriusculis modo pilis stellatis tecto, fusco.

9. seminibus ob arillum marginatum simul compressis, hilo contractiore. Reliqua, fructus, seminum arillus et receptaculi moles exacte ut in M. sylvestri, a qua quidem omnium partium magnitudine, foliorum figura speciali, duratione aliisque notis ad amussim discrepat. Variat caeterum eximie magnitudine, foliorum figura, quae nunc integerrima, nunc 5 — 7 angularia, pedunculis plurimis rarisque in foliorum axillis.

151.

3. *Malva sylvestris L.*

Char. spec. M. seminum arillis dorso scrobiculato-rugosis, calyculi foliolis oblongo-lanceolatis, laciniis calycinis ovatis sensim acutiusculis receptaculum contractum superantibus, petalis obovatis pedunculum floriferum aequantibus, pedunculis fructiferis patentibus effusis patenti-pilosis, foliis septemlobatis obtusis irregulariter-dentatis, caule erecto ramosissimo. — *Blackw.* t. 22. *Engl. bot.* t. 671. *Schk.* t. 192.

Syn. M. sylvestris *Linn. Sp. pl. Willd. Hoffm. Roth. Poll.* et al.

M. caule erecto herbaceo, foliis lobatis obtusis, pedunculis petiolisque pilosis *Hall. helv.* n. 1069. *Zinn gott.*

M. sylvestris folio sinuato *C. Bauh.* 314. cum Syn. *Rupp. jen.*

Patria: In areis graminosis, ad vias, inter oleraceas cum Solano villoso, Datura, Conio et Atriplicibus. Fl. cum praecedentibus.

Descriptio. *Radix* fusiformis, terram profunde penetrans, extus sordide-alba, intus dilutior, sublignosa, valida, perennis. *Caules* teretes, ex loci conditione varia, nunc surrecti omnino, nunc depressi, ex ramulis extensis obruti, pilis e bulbo provenientibus scabri, superne densioribus et longioribus pilosi, pedales, 1 — 2 cubitales et altiores. *Folia* infima semiorbicularia, reliqua ad medium fere 5 — 7 loba, obtusa, circa petioli insertionem plerumque purpurascentia, dentibus ovatis, obtusis, supinatis, inaequalibus circum serrata, basi exampliata hiantia, supra glabra, laeteviridia, subtus ex pilis furcatis parce-pubentia ibique nervis eminentibus venisque interjectis reticulata, magnitudine varia, summa fere palmata. *Petioli* caulis pedunculorumque more patenti-pilosi. *Stipulae* ovatae, acuminatae, margine ciliatae, hinc incisae. *Flores* axillares, 3 — 5 fasciculatim ex foliorum axillis: petala obverse-cuneato-ovata, obtusa, apice biloba, coerulescentia, venis tribus primariis aliisque duabus lateralibus saturatioribus pictis, speciosis, pedunculos floriferos patentes aequantibus. *Calyculi* foliola oblongo-lanceolata. *Laciniae calycinae* ovatae, sensim acutiusculae, ciliatae, parce-pubescentes, receptaculum superantes. *Germina* in fructum orbicula-

tum, tumidulum congesti. Seminum *arillus* glabriusculus, dorso e sulcis transversis flexuosis scrobiculato-rugosus, latusculis obsolete-striatis. *Semina* ut in M. rotundifolia *Linn.*, subtilissime excavato-punctulata, e cinereo fusca.

Caulis altitudo, foliorum figura et corollae color variant. Varietatem β. orbiculatam cl. *Dethardingi:* flore albo Ruppius indicat.

152.

4. *Malva Mauritiana Linn.*

Char. spec. M. seminum arillis glabriusculis dorso scrobiculato-rugosis, calyculi foliolis oblongis obtusis, laciniis calycinis dilatato-ovatis obtusiusculis receptaculo brevioribus, petalis obcordatis pedunculo florifero glabro longioribus, foliis 5-lobatis obtusissimis grandi-obtuseque dentatis, summis trilobis in basin ovatam productis utrinque cauleque erecto glabris.

Syn. M. mauritiana *Linn. Sp. pl.* 970. edit. *Willd.* 788.

M. hederaceo folio *C. Bauh. pin.* 315.

M. major III. *Dalech. hist.* 586.

Patria: In Italia et Hispania forsan orta, in hortos nostros transiit, in quibus nunc tanquam indigena quotannis propullulat et ex illis inter oleraceas Thuring. excessit. Floret auctumno ad brumam usque.

Descriptio. *Radix* fusiformis, annua. *Caules* teretes, erecti, superne in ramos patentes circa fastigium nitidos divisi, glabri raro pilis ali-

quot sparsis scabri, 1—2 cubitales. *Folia* inferiora semiorbicularia magna, intermedia leviter quinqueloba, basi patentia, summa e basi ovata triloba, fere subrhombea, lobis dentibusque obtusissimis inscripta, utrinque glabra, nervis venisque reticulata, saturate-viridia. *Petioli* ut in M. sylvestri, superne deplanati ibique solum tenuiter pubescentes. *Stipulae* ut in M. sylvestri, margine ciliatae. *Foliola* calyculi oblonga, obtusa, basi coëuntia. *Pedunculi* floriferi breves, fructiferi fructu duplo longiores, glabri, 3—6 in quovis axilla, per omnem aetatem patentes, effusi. *Petala* obcordata, colore saturate-sanguineo aequali suffusa, unguibus et venis saturatioribus tinctis. *Laciniae* calycinae perbreves, ovatae, sensim in apicem obtusiusculum desinentes, ciliatae, fructus marginem nec receptaculum attingentes. *Fructus* exacte ut in M. sylvestri, nisi aliquantulum majores. *Seminum* arillus marginatus, dorso scrobiculato-rugosus, latusculis obsolete-striatis, demum glaber. *Semina* praecedentis.

Critica. M. sylvestri satis adfinis, *Linnaeo* jam monente, nec illo auctore, solum foliorum costis, calyce exteriore et corolla sed potius: 1) caule surrectiore, validiore, superne in ramulos patentissimos, longos diviso; 2) partium glabritie, vix nisi in summa planta mutabili adjunctoque virore saturo; 3) foliis majoribus, grandius obtusiusque dentatis, lobis minus profundis, obtusissimis, summis fere trilobis in basin ovatam leniter protractis indeque subrhomboideis; 4) pedunculis brevioribus sub

apice evidentius callosis petiolisque sive glabris vel saltem pubescentibus, modo nec pilosis; 5) petalis obcordatis, colore atro-sanguineo aequali suffusis; 6) folioli calyculi minoribus, oblongis potius et obtusioribus, 7) laciniis calycinis latioribus, brevioribus, fructus marginem attingentibus indeque illum non occultantibus.

M. mauritiana *Rupp. jen.* 13., quam auctor M. sylvestri simillimam indicat et apprime describit, alia et Lavaterae trimestri subscribendae.

***Bismalva.*

Flores axillares, glomerati. Folia indivisa. Calyx scariosus fructum obtegens. Semina arillata, obovata, latusculis dorsoque libera, in fructum oligospermum congesta. Receptaculum plicatum seminum hilum posticum prominulum excipiens.

153.

5. *Malva verticillata L.*

Char. spec. M. seminum arillis immarginatis striis arcuatis supra dorsum ad latusculorum basin tendentibus parce-exaratis glabris, calyculi foliolis linearibus brevibus, laciniis calycinis ovatis glabriusculis, floribus glomeratis, foliis 5-angularibus cauleque erecto glabris.

154.

6. *Malva cripsa L.*

Char. spec. M. seminum arillis hyalinis immarginatis dorso latusculisque arcuato-striatis gla-

bris, calyculi foliolis linearibus acuminatis, laciniis calycinis ovatis acuminatis, floribus axillaribus glomeratis, foliis 5-7 angulatis crispis cauleque erecto glabriusculis.

Patria: M. cripsa L. inter oleraceas Germaniae spontanea quasi quotannis reddit, hinc a *Schkurio*, *Rothio* et *Hofmanno* pro stirpe germanica, a *Candollio* pro Gallica, ex Syria aufuga indicatur. M. verticillata illi satis adfinis, Chinam patriam habet, nunc hortis nostris familiaris.

****Alcea.*

Flores axillares solitarii. Folia multipartita. Calyx fructum occultans. Semina arillata reniformia in fructum polyspermum congesta dorso latusculisque anticis libera. Receptaculum centrale molendinaceum simplex cum superimposito corculo umbilicali effigurato: laminae latusculorum parti semicirculariter excisae accumbentes.

155.

7. *Malva Alcea L.*

Char. spec. M. seminum arillis immarginatis dorso costa longitudinali striatis glabris, calyculi foliolis ovato-oblongis, laciniis calycinis ovatis acutiusculis obtexto-hirsutis, foliis scabriusculis, inferioribus angulatis, reliquis profunde-trilobatis, lobis lateralibus bilobis, folium quinquepartitum mentientibus, caule erecto

petiolis pedunculoque scabriusculo. — *Blackw.* t. 309.

Patria: In promontoriis et aggeribus graminosis, dumetis Thuringiae passim. Jun.

Descriptio. *Radix* fusiformis, valida, alba, perennis. *Caules* teretes, erecti, in ramos alternos conformes surrectos divisi, ex pilis nunc simplicibus, nunc stellatim expansis, nunc ex nodulo flavescente surrectis scabriusculi, 1-3 cubitales. Folia suborbicularia profunde-triloba, lobis lateralibus bipartita, extremo 3-5 partito grandi-obtuseque dentatis, folia 5-partita mentientibus, summa sensim angustiora, pallide-viridia, superne pilis simplicibus sparsis, subtus stellatis scabriuscula. *Stipulae* lineari-lanceolatae, pilosae, exiguae. *Pedunculi* folia subaequantes, pilis stellatis scabriusculi. *Foliola* calyculi ovato-oblonga, modo angustiora, modo latiora, pedunculi more scabra. *Laciniae calycinae* ovatae, acutiusculae, fructum obtegentes, pilis stellatis condensatis tectae. *Flores* axillares quidem, in summo caule tamen magis condensati, fere paniculati. *Petala* corollae obcordata, biloba, striata, amoene-pallideque-purpurascentes. *Fructus* e seminibus plurimis 16-24 reniformibus in orbem extus liberum compositus. *Arillus* glaberrimus, primum viridis, dein nigrescens, immarginatus, dorso costa longitudinali inscriptus, subtilissime rugulosus, medio latusculorum parte semicirculariter-excisus ibique cum receptaculi lamina connivens. Semina conformia praeter costam dorsalem, concolora, subtilissime

punctulata. *Receptaculum* simplex e laminis horizontaliter patentibus 16 - 24 albidis compositum, corculo umbilicali, obverse-pyriformi crasso glabro coronatum.

Critica. Multum variat: pilis, qui nunc simplices, nunc ex nodulo flavo emergunt, quales *Linnaeus* M. moschatae tribuit, nunc et frequentius quidem aliis lateralibus pluribus stellatis augentur, arcte adprimuntur sive etiam distant et scabritiem aliquam edunt: loborum latitudine, integritate, ex qua nonnisi latiores et integerrimi sunt; calyculi foliolis magis minusve obtusis, ovatis, qualia *Smithius* indicat; et aliis partibus.

156.

8. *Malva moschata L.*

Char. spec. M. seminum arillis ecostatis immarginatis dorso hispidis (aeneo-nigrescentibus), latusculis papulosis, calyculi foliolis linearibus utrinque acuminatis, laciniis calycinis ovatis acutiusculis parce-pilosis, foliis inferioribus reniformibus subintegris, caulinis 5-partitis sensim angustioribus, caule subsimplici petiolis pedunculisque patenti-pilosis.

α. *Integrifolia*, foliis radicalibus caulinisque intermediis subintegris crenatis.

β. *Laciniata*, foliis omnibus pinnato-multifidis, floribus subterminalibus. — M. laciniata *Lam. dict.* III. 750. M. moschata β. *DC.* gall. IV. 830. M. tenuifolia *Camer. hort.* 9.

Patria. In aggeribus apricis, inter saxa, ad vias maeras cum Verbascis, Erigeronto, Trifolio striato, Rumice Acetosa var. auriculata etc. Jul.

Critica. Differt a M. Alcea:

1. caule plerumque simpliciore, graciliore cum petiolis pedunculisque patenti-pilosis.

2. foliis imis reniformibus crenatis integris obsoleteve 5-lobis, reliquis 5-partitis, quae in illa modo tripartita, ob lobos laterales profunde-bilobos folia 5-partita modo mentiuntur, utrinque pilis simplicibus hirsutis.

3. calyculi foliolis linearibus angustissimis utrinque acuminatis.

4. laciniis calycinis ovatis parce-pilosis cum aliis stellatis adpressis intermixtis.

5. corollae petalis minoribus, roseo-purpurascentibus.

6. arillo dorso hispido ecostato, aëneo-nigrescente.

7. seminibus paullo minoribus, cinereis.

8. receptaculo obsolete-molendinaceo, laminis abbreviatis nigrescentibus, corculo umbilicali hispido.

9. odore ambrosiaco, raro deficiente.

Varietates ex foliorum divisione, sibi contrariae ex rarioribus: quae inter utramque ambigunt, passim suisque locis, in agro hercynico abundant.

Jam vale remque Tuam et prospere et fortiter age. D. ex Museo M. Heringensi d. 18. Octbr. 1822.

Josephi Morettii plantae novae in Italia detectae.

Ex secundo volumine (Bimestre II.) Diarii Physices, Chemiae et Historiae Naturalis, quod Ticini evulgatum anno 1822.

157.

1. *Campanula elatinoides Nob.*

Char. spec. C. foliis ovatis acutis dentatis in petiolum desinentibus, calycum dentibus subulatis patulis corollam subaequantibus *Nob.*

Syn. *Pyramidalis* P. Gregorii da Reggio, *Clus.* Cur. posterior. p. 67. icon. 68. bene.

Rapunculus Brixianus *Greg.* de Reggio, *Zwinger.* Theatr. botan. p. 392. ic. ex *Clus.*

Trachelium saxatile spicatum *Parkins.* Theat. bot. p. 644. ic. ex *Clus.*

T. saxatile foliis pulmonariae Gallorum C. *Bauh.* Pinac. p. 94. n. XIV.

Rapunculus saxatilis, sive pyramidalis alter *Gerard.* emacul. p. 455. f. 2. ex *Clus.*

Campanula petraea Zantedesch. Flor. Brixiens. ined. ex ej. spec. sicc. (non *Linn.*)

Descriptio. Caulis adscendens, teres, subtomentosus. Folia ima interdum subcordata, oblonga, reliqua ovata exacte in petiolum decurrentia, dentata, acuta, utrinque canescentia. Ex axillis ramuli prodeunt denuo ramulosi bracteati, ex quibus pedunculi solitarii uniflori tomentosi. Ca-

lyces 5-partiti, tomentosi, laciniis subulatis longitudine fere corollae.

Observ. Huic simillima videtur *Campanula elatines Linn.*, a qua tamen omnino differt: Caules inferne adscendentes, superne erecti, nec prostrati. Folia ovata, acuta, nec cordata, obtusa. Calycum laciniae subulatae patentes nec erectae.

Patria: Reverendus Pater *Gregorius* de Regio hanc *Campanulae* speciem in montibus brixiensibus invenit, atque ejusdem iconem et descriptionem anno MDCVII. ad Cel. *Clusium* misit, quae latino donata, in lucem edita fuit opere illius posthumo sub titulo *Curae posteriores* pag. 67. icon. 68. edit. in 4.° *Zwingerus* descriptionem transcripsit et ipsam iconem coloribus pictam evulgavit. *Parkinsonus* et *Gerardus* eandem *Clusii* iconem sunt imitati.

Doctor *Zantedeschius* ex Bovegno nuperius illam invenit in ipsis montibus brixiensibus, ubi uti superius dixi, abhinc seculis duobus a memorato Patre *Gregorio* inventa fuerat; et specimina duo misit ad me.

158.

2. *Verbascum micranthum Nob.*

Char. spec. V. foliis radicalibus lanceolatis subfalcatis acutis crenulatis subtus canescentibus petiolatis, caulinis sparsis sensim angustioribus, racemis compositis *Nob.*

Descriptio. Caulis bipedalis et ultra, teres, leviter striatus quandoque villosus. Folia radica-

lia lanceolata, subfalcata, superne crenulata, acuta, supra glabra, subtus canescentia, nicotianae fruticosae quodammodo aemula; caulina sparsa, inferiora petiolata, superiora sessilia gradatim angustiora, omnia lanceolata, crenulata, versus basim integerrima. Racemus compositus, ramis sparsis erectis teretibus. Flores parvi saturate-lutei, ex una basi plerumque gemini. Calyces tomentosi, acuti pedunculis propriis triplo breviores. Stamina corolla breviora. Pistilla subclavata staminibus duplo longiora.

Patria: Haec species habitat in monte *Vettore allo Schiancitto* praetutianorum, ubi illam invenit accuratus pharmacopola *Orsinius* ex Asculo Piceno, et nonnullis pulchris ejusdem specimi-nibus comiter me donavit.

159.

3. *Verbascum heterophyllum Nob.*

Char. spec. V. foliis radicalibus obovato-cuneiformibus crenatis, subtus nervis venisque imprimis albo-tomentosis, caulinis sessilibus omnibus acuminatis, inferioribus ovatis, superioribus subrotundis; racemo inferne ramoso *Nob.*

Descriptio. Caulis erectus, teres obsolete tomentosus, 2-3pedalis. Folia radicalia obovato-cuneiformia in petiolum desinentia, crenata, at versus basim integerrima, subpedalia; caulina alterna, sessilia, acuminata, acumine subulato, inferiora ovata, superiora subrotunda, omnia undi-

que leviter crenulata. Racemus inferne ramosus, ramis alternis erectis. Calyces valde tomentosi. Filamenta declinata, inaequalia: antherae nigricantes margine flavo-lanuginosae. Pistilla incrassata staminibus longiora.

Patria: Haec planta nascitur apud Novocomum, et mihi eandem memoratus dynaste *De Weldenius* largitus est. Mense julio floret.

160.

4. *Cnicus spathulatus Nob.*

Char. spec. C. foliis profunde pinnatifidis, laciniis bipartitis, lineari-lanceolatis, apice spinosis, margine ciliatis, subtus tomentosis. Calycibus nudis, squamis spathulatis, apice spinosis *Nob.*

Syn. *Carduus ciliatus Villars*, Préc. d'un Voyag. pag 45. (non *Murr.*)

Descriptio. Radix ramosa, perpendicularis. Caulis erectus humanam altitudinem fere attingens, teres, sulcatus, plus minus tomentosus. Folia semiamplexicaulia, profunde pinnatifida, laciniis lineari-lanceolatis, basi hinc inde spinosis, apice spina terminatis, margine ciliatis, subtus tomentosis. Flores in summitate caulis solitarii; calyces ovati subnudi; squamis nigrescentibus, spathulatis, apice spinulosis, margine membranaceis albidis.

Critica. Haec species inter *Carduum ciliatum Murr.*, et *Carduum eriophorum Linn.* locum habet. Facile tamen ab illarum priori di-

stinguitur, quod exhibeat squamas calycinas spathulatas, non subulatas; ab altera dein, quod calyces ferat non lanuginosos, sed prorsus nudos. Crescit in collibus ad meridiem Papiae, et mense Augusto floret.

De quibusdam plantis Italiae.

Ex quarto volumine (Bimestre IV.) Diarii Physices, Chemiae et Historiae Naturalis, quod Ticini evulgatum anno 1822.

Botanices peritis Joseph Morettius S.

Decades has vobis offerens, efflagito, quo de synonimia plantarum Italiae, quarum in historiam generalem jamdiu incumbo, vestrum mihi judicium promerear, atque a vestra mihi valeam comitate comparare, grato lubentique animo promptius monentes sequar ut ait Grotius, quam illi me monebunt errantem. Valete.

161.

5. *Primula glaucescens Nob.*

Char. spec. P. foliis lanceolatis vaginantibus lucidis integerrimis, margine albocartilagineis, subtus laevissime multinerviis glaucescentibus; calycibus 5-partitis, acutis, coloratis *Nob.*

Syn. *P. laevigata Duby Monogr.* Gener. primul. ined. ex ej. specim. sicc.

P. calycina Gaud. Flor. Helv. ined. fid. *Reynier.*

Descriptio. Radix carnosa, nigra, crassitie digiti minimi, oblique se erigens, fibris longis subdivisis praedita. Folia confertissima in modum rosae disposita, vaginantia, lanceolata, acuta, supra lucida, subtus glaucescentia, laeviter multinervia, nervis simplicibus obliteratis, margine subintegerrimo, albo. Scapus 4-uncialis, teres, crassitie aequalis, superne nutans, glaber. Involucrum 3-phyllum, foliolis erectis lineari-subulatis, subviolaceis. Umbella subtriflora; pedunculis inaequalibus semiuncialibus, involucro brevioribus. Calyx tubulosus, erectus, 5-partitus, coloratus; laciniis lanceolatis, acutis. Corolla hypocrateriformis purpureo-violacea; limbo plano, laciniis subbilobis, obtusis. Stamina brevissima in fundo tubi exposita, quorum antherae oblongae tenuissimo filamento insertae. Stylus erectus, filiformis longitudine fere laciniarum calycis: stigma globosum. Capsula globosa.

Observatio. Unica species cum qua haec conferri potest, est *Primula* integrifolia *Linn.* Attamen ab ipsa differt, quod exhibet folia lanceolata, non elliptica, calyces 5-partitos laciniis acutis, non quam maxime obtusis. Dein foliorum color in nostra specie glaucescens, sed in *Primula integrifolia* viridefuscus alteram facile ab altera distinguit.

Jam ab annis triginta optimus praeceptor, et amicus meus Professor *Scannagatta* pulcherrimam hanc speciem monte *Corci di Canzo* in superiori agro mediolanensi evulsit. Eunte anno 1819,

D. *Duby* botanicus genevensis nonnulla hujusce plantae specimina in eodem monte collecta mihi largitus est; et hoc anno egomet ipsam florescentem inveni mense maii in peregrinatione botanica una cum claris. Dynaste chiliarco *De Veldenio* illuc peracta.

162.

6. *Inula hetrusca Nob.*

Char. spec. I. caule sulcato; foliis amplexicaulibus, lanceolatis margine scabris subtus venosis *Nob.*

Descriptio. Radix perennis valde fibrosa ex qua prodit caulis simplex, glaber, primum adscendens dein erectus, superne ramosus, sulcatus ab imo ad flores. Rami inferiores superioribus aequales. Folia alterna amplexicaulia patentia, lanceolata, utrinque glabra, subtus venosa, margine scabra; inferiora angustiora, media latiora, reliqua sensim angustiora et remotiora. Calyces nonnullis foliis lineari-lanceolatis suffulti, quorum squamae inferiores latiores, reliquis superioribus scariosis. Semiflosculi plurimi lineares, apice tridentati, disco triplo longiores, patentes.

Patria: Plantam hanc, floribus perfectis instructam postridie idus Augusti anno 1821. inter Florentiam et Pisas in Hetruria comperui. An simplex varietas nimis luxuriosa *Inulae salicinae Linnaei?* Res tamen certa, eandem multam differre ab *I. salicina* quae in tota Insubria communis reperitur, nec non ab *I. salicina* Helvetiae cujus

specimen mihi clar. *Reynierus* ex Lausonio benigne largitus est.

Plantae hujusce descriptionem illustribus Hetruriae botanicis subjicio, quorum aequum judicium libenter accipiam.

Fr. G. Eschweiler,
Florula cryptogamica Casseliae brasiliensis N. et M.

(Cum tab. aen. I.)

Specimen descriptionis mucedinum brasiliensium, quod hisce offero, non ob copiam, sed imprimis ob locum natalem singularem dignum censebatur, quod in hisce Ephemeridibus lucem adspiciat. Mucedines nimirum, qui hucusque innotuere, formae quadam constantia colorumque splendore inter plantas imperfectiores valde excellunt, quorum vero numerus adauctus majori sane scientiae emolumento inserviet, dum, qui referentur, e plagis remotis, fovente coelo a nostro alieno, eodemque vegetabilium evolutioni imprimis idoneo, originem ducunt. Enimvero plantulae istae nimis despicatae *ratione climatis diversissimas* induunt formas, easque, uti jam ex paucis, quas e variis regionibus allatas hucusque scrutavi, concludere licet, in zona boreali nocte forte opitulante, in zona fervida vero humo et calore adjuvantibus, istis, quas paterni naturae scrutatores summo acumine observavere, partium multiplicatione multo magis evo-

lutas. Jamjam pulchros indicare licet mucores, quos cel *a Martius* *) ad Amazonum fluminis ripas depinxit, neque spes deest, ab hinc post paucos annos haec magis probatum iri, cum inter peregrinantes, qui hoc tempore rebus naturalibus colligendis naturae scientiam illustrare conantur, plurimi sint iique indefessi viri, qui voluptatis, quam domi ipsis tribuit studium microscopicum, a patria remoti non obliviscantur. Mihi tantum contigit, mucedines nonnullas exsiccatas contemplare, neque eo minus hae paucae, quae sunt, messis uberrimae spem augent. Casu scilicet fortuito in singulo plantae folio ex herbario brasiliensi *Serenissimi Principis Maximiliani Neovidensis*, plures observavi *Hyphomycetes* sociatim nidulantes, quorum unus imprimis memorabilis videbatur, atque eo lubentius plura in futurum spondens occasionem amplexus sum, specimen hoc publici juris faciendi, quo magis idem idoneum videatur ad illustrandum modum asservandi observandique mucedines peregrinas, dummodo Micrographi paterni oculos convertent in herbaria e terris longinquis allata, ubi innumeri latent fungilli plantas phaenogamas, quibus obumbrantur, saepius pulchritudine aemulantes. Caeterum absque labore distinguere licet mucedines in plantis non sufficienter exsiccatis orientes; saltem

*) Acta Acad. C. N. C. Vol. X. P. 2.

in herbario locupletissimo, de quo verba feci, plantae omnes ignis ope maximaque sollicitudine exsiccatae sunt, ne minima putredinis vestigia in ipso invenias: accedit, quod fungilli in sequentibus describendi perspicue compressi erant.

I. Aërophyton, n. gen. ad familiam Mucorum pertinens.

Char. gen. Flocci ramosi, articulati, e coitu Rhizopodiorum membranaceo gregatim orientes, apice clavati, clavulis *ascos* subrotundos adhaerentes gerentibus.

Fungus coenotocus, hinc ab omnibus Hyphomycetibus et Mucoribus sat distinctum genus. *Rhizopodia* ramosa, obsolete septata, in pelliculam tenuissimam confluentia, quae matrix totius fungi, Mucedinum perfectissimi; insignis in systemate forma rudimenta struens Mucorum conjunctionis organicae, cujus ope gignuntur *Hymenomycetes* et *Myelomycetes*, genuini thecigeri, eodem modo ac *Thelephorae* ortum ducunt ex *Isariis* et *Sporotrichis;* caeterum planta nostra formam fructificationis *Aspergilli* induit.

163.

1. *Aërophyton Principis.*

Char. spec. Candidum, floccis apice ut plurimum sterilibus, ramis inordinatis ascigeris, articulis diametro floccorum bis v. ter longioribus, sporidiis minutissimis. (Fig. I.)

Observ. Fungum aspectu tenerrimum, sed persistentem et nudo oculo jam arbusculi imaginem praebentem cum nonnisi exsiccatum observare potuerim, ascorum evolutionis seminumque sparsionis modum suspicari tantum licet esse eundem, qualem in *Aspergillo* observavit Cl. *Ehrenbergius;* vidi etiam clavulas nonnullas ruptas inversas, quae olim *Ascophorae* character genericus ferebantur. Flocci ducenties aucti diametrum perhibent 2 — 3 lin., asci paullo majorem. Altitudo 3 lin In fungo marcescente collabescunt flocci funiculi ad instar.

Memorabiles insuper sunt flocculi, uti visum est, parasitici in fungo ipso parasitico, non septati, matricis floccis duplo tenuiores, ejusdemque ramos circumvolventes, contorquentes, immo, quod in alio specimine observavi, summos ramos terram versus trahentes, quo ulteriorem evolutionem et fructificationem aperte cohibent. Imaginem praebent microscopicam terrae calidioris plantarum sarmentosarum et volubilium, quae quantum vis graciles, cum arboribus giganteis certamen inire videntur.

Nomen genericum ex ordinis indole petitum, plantae nostrae imprimis adaptatum consebatur, quippe quae folio leniter adhaerens ejusdem quasi effluvia vel spiritum exhalantem referret.

Nomen *specificum* dedi in honorem *Principis Serenissimi*, ipso concedente, qui plantam

matricem in *Brasilia* legit, dum maribus in libertatem vindicatis, priscae scientiae gloriam exemplo nunquam interituro confirmatam scientiamque ipsam novo incremento illustrandam sequeretur.

Explicatio iconis Tab I. Fig. I.

a) *Fungillus magnitudine naturali. α) idem collapsus.*

b) *Idem diametro quadragies longiore auctus. α flocci parasitici.*

c) *Asci et sporidia, eodem sensu ducenties aucta.*

Obs. Figurae exacte ope Micrometri delineatae sunt.

2. *Aspergillus glaucus Link.*

164.

3. *Acladium simplicissimum*, n. sp.

Char. spec. Flocci simplices, albidi, articulis diametro floccorum duplo longioribus, sporidiis minutis globosis.

Flocci caespitosi, ½ lin. alti; sporidia forte ob aetatem provectiorem rara.

II. Gliotrichum, n. gen., ad familiam *Byssorum* N. ab *E.* referendum.

Char. gen. *Fibrae* simplices, continuae, mucosae, subopacae, repentes, demum fasciculatim conglutinatae assurgentes. *Sporidia* inspersa.

Fibrae simplices subrigidae sunt, *compositae* vero et erectae, duriores, opacae byssum referunt, atque e fibrarum simplicium ordinatione fasciculari et pyramidali cuspidatae sunt. Priorum contentus granulosus videtur. *Byssus* in foliis vivis parasiticus.

165.

4. *Gliotrichum Casseliae.*

Char. spec. *Fibrae* simplices, virides; assurgentes et compositae vero hamatae, subtortuosae multiplicatione priorum nigricantes. *Sporidia* minutissima. Fig. II.

Fibrae erectae $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ lin. altae sunt; *simplices* ducenties auctae diametrum exhibent fere 1 lin. et laxe in pannulum contextae sunt.

Obs. Hujus loci *Gliotrichum betulinum*, in cortice *Betulae* parasiticum, plantula borealis, quam misit oculatissimus *Weinmannus* a se in agro *Paulowskiensi* lectam.

Explicatio iconis Tab. I. Fig. II.

a) *Gliotrichum Casseliae lente fortiter auctum.*

b) *Ejusdem pars a folii margine detracta, microscopio composito ducenties diametrum augenti, subjecta.*

Casseliae cauli demum inhaerebant:

III. *Haplotrichum* n. gen. ejusdem familiae cum praecedente.

Char. gen. *Fibrae* simplicissimae, continuae, subopacae, sporidiis globosis inspersis.

166.

5. *Haplotrichum candidum.*

Char. spec. *Fibrae* candidae, longissimae, tenerrimae laxe intricatae, sporidiis diametrum fibrarum parum superantibus.

Caespitulos parvos efformat laxe inhaerentes. *Fibrae* ducenties auctae vix sextam lineae partem crassae apparent, hinc in statu sicco opacae, sub aqua vero per intervalla magis pellucent produntque contenta aliqua granula. Caeterum e muco quodam sub microscopio bene conspicuo congeluisse videntur, in quo fibrae juniores, eaeque prioribus multo tenuiores vix summo augmento percipiuntur.

6. *Jungermannia transversalis Swartz.* (Fl. Ind. occid. T. III, p. 1859)

167.

Caladium viviparum (Arum viviparum Hort.)

Descriptio. Radix tuberosa, magnitudine *Cyclaminis*, emittens stolones plures, pedales circiter e terra emergentes crassitie pennae anserinae, aphyllos, squamis adpressis membranaceis triangularibus laceris subfuscis alternis vestitos, bulbiferos, bulbillis parvis ovatis e squamis arcte imbricatis basi ovatis apice in setam subulatam uncinatam desinentibus constructis centro solido sub-

carnoso, extus virescentibus intus albis. Scapus spithamaeus erectus seu subcompressus, foliorum loco tectus squamis tribus lanceolatis acuminatis basi laxe vaginantibus membranaceis rufo-pallido quarum superiores majores sunt. Spatha e basi ovata circumvoluta viridi in laminam pallescentem amplam subrhombeam, concavam, basi cuneiformem, apice cuspidatam, marginibusque revolutam, primo erectam, sub anthesi reflexam expansa. Spadix exsertus, *apice staminifero* ovali-obtuso lutescente. Antherae peltatae 4 — 5 lobae, lobis superne falcatis. Odor singularis non ingratus. Folia post florem prodeunt, petiolis bipedalibus valides teretibus glaberrimis, basi membrana rigida vaginantibus peltatim suffulta, maxima 2 pedes longa, 1½ pedes lata, cordato-ovata, in acumen tenue producta, supra laete viridia, subtus e viridi-flavescentia, utrinque lucida, margine cartilagineo flavido e vasorum fascia formato cincta.

Adn. Plantam istam *Caladio* (nec Aro) generi adscribendam esse, ex antecedentibus patet. — In caldariis nostris laete viget, primo vere flores profert et facillime propagatur, tum e stolonibus ipsis tum e singulis bulbillis novam eliciens prolem. Icon hujus speciei in *Loddiger Bot. Cabinet* minus perfecta est et descriptio quoque desideratur, quam ob rem fusiorem plantae inter congeneres distinctissimae adumbrationem alio loco icone fida illustrandam, botanicis hic offero.

Dr. Fr. Nees ab Esenbeck.

168.

Hutchinsia corymbosa Gay.

Char. spec. H foliis carnosis, inferioribus late spatulatis apice denticulatis integrisve, caulinis ovato-oblongis integris amplexicaulibus acute auriculatis, staminibus styloque corollà triente brevioribus, siliculis corymboso-umbellatis, pedicello brevioribus, stylo longioribus.

Patria. Habitat in Valesiae superioris alpibus ad Divi Nicolai vallem pertinentibus, prope terminum nivalem, duobus locis à pago *Zermatten* non longe remotis, nempe 1) in monte *Refel*, cum *Androsace pennina Gaud.* aliisque cespitosis plantulis humo nigro substratis, 2) in m nte *Flühe* seu *Finelet*, proxime ad ejusdem nominis mo em glacialem, inter schistos detritos; quibus locis, ante annum 1809 primum à Ludovico *Thomas* detecta, iterum anno 1822, Julio exeunte, ab Emmanuele, jam dicti Ludovici fratre egregio, florens et fructifera lecta est.

Observ. Ab omnibus *Hutchinsiae* speciebus in priore sectione *Syst. nat. Candoll.* descriptis differt siliculis corymboso-umbellatis, non racemosis.

Critica. Praecipue affinis *Hutchinsiae cepeaefoliae*, à quà distinguitur cespitibus longioribus, foliis latioribus, inferioribus obscurius den-

ticulatis, caulinis ovato-lanceolatis non linearibus, basi auriculatis n n exappendiculatis, et siliculis plerumque pleiospermis; et *Hutchinsiae rotundifoliae*, à quâ recedit foliis caulinis acute non obtuse auriculatis, petalis quadrante longioribus, angustius spatulatis, siliculis 4—6, non 2—4 spermis, pedicello longioribus non pedicellum aequantibus aut eodem brevioribus, denique statione et habitatione. Nondum enim, quod sciam, in australi granitico Valesiae jugo, Italiae finitimo, lecta est *H. rotundifolia*, quamvis in proximo et parallelo septentrionali, ditionis Bernensis et Vaudensis contermino, eoque calcareo jugo frequentissima sit; nec in simili humo crescere nobis visa est, sed potius in glareosis et lapidosis sedem sibi delegisse, in qua statione radices et caules agit saepe longissimos, quos in *H. corymbosa* non ita productos animadvertimus.

Magna etiam similitudo hanc inter et Thlaspios species nonnullas è *Pterotropiorum* sectione intercedit. Specie certo differt *Thlaspi montanum* iisdem locis (in summis alpibus vallis D. Nicolai) crescens, floribus albis, petalis latioribus, ovario elliptico non oblongo, in siccis speciminibus pellucido non opaco, siliculis racemosis, magis compressis, apice non ita attenuatis, imò et excise emarginatis, versus apicem obsolete alatis; caetera autem, non omissa foliorum nervatione et venarum dispositione, ad amussim quadrant, ut

vix credideris has plantas genere separari posse, praesertim si observatione didiceris *Hutchinsiam rotundifoliam*, *corymbosam* et *cepeaefoliam* silicularum apice plus minus emarginatarum non expertes esse, et hunc characterem parvi fecisse naturam.

J. Gay.

Lepidii nova species.

Format planta haec in *Candollii* egregia systematis naturalis descriptione generis *Lepidii* propriam sectionem et quidem inserendam inter tertiam et quartam, cujus sectionis nota differentialis sequens:

Silicula ovata alata emarginata; stylus erectus.

169.

Lepidium Sieberi.

Char. spec. L. siliculis hirsutis, emarginatis, pedicello villoso majoribus, stylo erecto.

Descriptio. Planta perennis, plures caules 2 pollices longos e radice lignescente mittens; caules simplices, prostrati, basi glabri, ceterum villosi, pubescentia patente. Folia radicalia longe petiolata glabra basi exciso-dentata: caulina sessilia, ovata, integra, villosa. Racemi terminales, erecti 10—15 flori, pedicelli villosi ad siliculas incrassati, siliculo biloculares, loculis monospermis

angustiseptae, alatae, hirsutae, ciliatae, ad apicem glabrae, emarginatae; stylus filiformis, 2 lineas longas, erectus.

Patria: Habitat in Insula Creta, ubi legit cl. *Sieber.*

Wenceslaus Mann, Med. Cand.

Scitaminearum quaedam genera emendata, a Francisco de Paula de Schrank.

I. Canna.

Monandria Monogynia. *Flores* completi. *Cal.* adnatus, superne articulato-triphyllus. *Cor.* duplex: exterior regularis, tripartita; interior bilabiata, 3—4-partita. *Filamentum* unicum, basi styli adnatum dipetaloideum, *Anthera* laterali, laciniae superioris margini adnata, lacinia inferiore revoluta, subsessili.

Critica. De loco, quem genus hoc in systemate sexuali obtinere debet, contendere nolo. *Vahlius* ad classem gynandram amandare statuit, quod filamentum basi styli adnatum sit; quo fit, ut haec classis ordinem monandrum adipiscatur: nam quas Orchideas *Schwarzius* et *Willdenowius* ad hunc ordinem retulerunt, verae diandrae sunt; habuerunt nempe hi Viri quod *Linnaeus* Nectarium vocavit, quod biloculare sit, pro anthera biloculari, quum tamen verae Corollae labium superius, recipiendis tamen massulis duabus pollinis destinatum sit, et forte

columnellam, corollam, antheras, stigmaque sustinentem, pro filamento.

Filamentum hujus generis certe significatui grammatico hujus vocis non respondet; *Linnaeus* propterea Nectarium adpellavit, cui anthera adhaereat, filamenti praesentiam negavit, quod generis definitionem obscuriorem reddidit, imo falsam effecit.

Characteri formando servierunt species decem.

II. *Amomum.*

Monandria Monogynia. *Calyx* coloratus (albus) bilabiatus, trifidus: laciniis lanceolatis, nervosis (obtusiusculis), aequalibus: labio superiori unica, inferiori duabus. *Corolla* (calyci concolor) quadrifida: laciniis tribus cum tubo calycis connatis; laminis suborbicularibus, undatis; quarta basi calycis labio superiori adnata, lanceolata, decurva, subinvoluto-parallela, medio biantherifera, *Stylum* in cavitatem suam recipiens. *Pistillum:* Ovarium oblongum, plano-convexum; Stylus filiformis (albus); Stigma acetabuliforme ciliatum.

Critica. Hoc certe genus Classi Gynandrarum inseri nequit, an ad Monandras pertineat, difficilius dictu est, ob habitum eundem a Scitamineis reliquis non judico separandum, et neglecta duplicitas Antherae forsan excusationem admittit, quum in Zerumbet specioso (de quo infra) exemplum habere videatur.

Character ad *A. A. Zingiber* et *Zerumbet* examinatus est.

III. Ceratanthera.

Monandria Monogynia. *Flores* completi. *Corolla* hypocrateriformis, tubo farcto, limbo bilabiato: labio inferiori quadripartito, reflexo, superiori bifido. *Anthera* stigmatis plano adnata.

Critica. Ergo a Globbae genere toto coelo diversa, sed aeque ac Canna, si quis velit, ad Gynandras monandras amandanda. An *Willdenowii Globba marantina* huc pertineat, ex defectu adcuratioris definitionis statuere non possum.

Character ad fructificationem *Ceratantherae amomoidis* constructus est.

IV. Zerumbet.

Monandria Monogynia. *Bractea* ovata, colorata (alba, apice rosea), concava, trigona (aut simpliciter dorso convexa), ovarium calycemque exteriorem involvens, longitudine ovarii calycisque exterioris. *Calyx* adnatus, coloratus (albus, roseo nonnihil tinctus), duplex: exterior brevis, infundibuliformis, unilabiatus: labio nempe inferiore nullo, superiore lato, apice tridentato: dentibus obtusis (ciliatis); interior infundibuliformis: tubo corollae adnato, limbo profunde trifido: laciniis oblongis, apice obtusis concavisque, caetera planis, longitudine subaequalibus, corolla brevioribus, sed suprema duplo latiore. *Corolla* infundibuliformis, limbo campanulato, unilabiato: Labio nempe superiori nullo, ejus loco squamis duabus

falcatis, brevissimis, invicem obversis, coloratis (flavis, rubro pictis); Labio inferiore maximo, circumscriptione late ovato, trilobo: lobis lateralibus subinvolutis, terminali longiore, patente, obtusiusculo, undulato; (color luteus, sed area intus arbusto rubro, multicauli, basi flava, lineolis rubris variegato-pinnata, corona ramosa rubra eleganter picta. *Stamen* unicum. Filamentum carnosum, lineare, locum labii superioris occupans (albidum). *Anthera* magna, flava, sinu longitudinali excavata, apice emarginata, bilocularis: loculo quovis septo longitudinali bipartito: valvulis interne (versus corollae labium) dehiscentibus. (Pollen flavum). *Pistillum:* Ovarium globosum, apice truncatum, hirsutus, subviride; Stylus longitudine staminis (albus), filiformis, in sinu antherae adplicatus. Stigma globosum, hirsutum (album) supra antherae emarginaturam nonnihil inflexum.

Brevius.

Monandria Monogynia. *Cal.* duplex exterior brevis, unilabiatus, tridentatus, interior basi tubo corollae adnatus, superne profunde trifidus: lacinia superiore duplo latiore. *Corol.* infundibuliformis: limbo campanulato, unilabiato: squamae duae falcatae brevissimae pro labio superiori. *Filamentum* carnosum; *Anthera* bilocularis: loculis longitudinaliter bipartitis.

Critica. Non potest esse *Globba*, nam stamen unicum nec duo, corolla irregularis campa-

nulata, nec cylindrica aequalis; accedit tamen ad hoc genus propter Antheram bilocularem, loculis septo longitudinali divisis. Nullo modo est *Globba nutans* L., quae est *Globba sylvestris Rumphii* *), uti conferenti iconem *Rumphii* cum icone, qua *Jacquinius* nostram plantam depinxit **), primo intuitu patet. Nec ad *Renealmiae* genus pertinet, quale quidem a *Linnaeo filio* ***) et a *Schreberо* ****) constitutum est, imo etiam a contracto generico charactere, quem *Willdenobius* exhibet *****) multum abhorret. Novissime ad *Alpiniae* genus relatum est, cujus characterem, qualem quidem *Roemerus* et *Schultesius* exhibent, egregie refert, sed vereor ut alia species, quae hucusque sub hoc militaverat genere, ibi porro locum invenire possit, certe cum descriptione Schreberiana generis non convenit. *Costus*, ad quem *Personius* plantam retulit, ab illa multis characteribus abhorret, praecipue calyce minuto, corollae petalis tribus aequalibus, nectario seu corolla interiori.

Character ad *Zerumbet speciosum* constitutus est.

V. Kaempferia.

Monandria Monogynia. *Flores* completi. *Spa-*

---

*) Amboin. VI. p. 140. tab. 62 et 63.
**) Fragm. bot.
***) Suppl. p. 7.
****) Gen. plant. n. 2.
*****) Enum. p. 3.



Fig. 1.





Fig. 2.





Fig. 1 Aerophyton Principis Eschw. Fig 2. Gliotrichum Casseliae Eschw.

Eschweiler pinx.

tha membranacea, lanceolata (obsolete rubro colorata). *Calyx* adnatus, supra ovarium hypocrateriformis (elongatus, corolla longior). Tubus filiformis; limbus tripartitus: laciniis elongato-lanceolatis, acutissimis, involutis (albis). *Cor.* infundibuliformis; Tubus tubo calycis immersus ejusdemque longitudine; limbus quadripartitus, irregularis: laciniis duabus superioribus lanceolatis, acutis, erectis (albis, subcoloratis), duabus inferioribus lanceolatis, latioribus, patentibus (intus purpureis, extus albis), omnibus irregularibus, crenulatis. *Stamen* unicum, semiteres, cum tubo corollae connatum, apice membranaceum, planum, bidentato-emarginatum: dentibus lanceolatis; *Anthera* cylindrica, tubulosa, intus pollinifera. *Pistillum: Ovarium* calyci adnatum. *Stylus* filiformis, tenuissimus, antheram perforans, apice desinens in corpusculum turbinato-cyathiforme, margine subtilissime ciliato. *Stigma* cyathi cavitas.

Observ. In hoc certe genere evoluto jam perfecte flore nulla porro foecundatio locum habere potest; sed peragitur illa quum stylus antherae tubum, quo ab exordio florescentiae brevior est, sensim perforat, quemadmodum hoc in plerisque floribus Classis XIX obtinet.

Hoc iterum genus est, quod ad Classem gynandram referri renuit.

Character ad *Kaempferiam Galangam* formatus est.

VI. Phrynium.

Monandria Monogynia. *Calyx* duplex, ad-

natus, coloratus (violaceus): exterior minimus; tripartitus: laciniis triangularibus, acuminatis; interior triphyllus (albidus, superne violaceus), multo major: foliolis oblongo-ovatis (obtusiusculis), concavis. *Corol.* bilabiata: labio superiore tetrapetalo: petalis tribus interioribus, uno exteriori, unguiculato, vexilliformi, reliquis duplo longiori, obovato; lateralia duo planiuscula, margine altero petalum medium tegentia; hoc serratum, complicatum (obscurius coloratum). Labium inferius ceraceum, latissimum, longitudine petalorum interiorum, in urceolum superne longitudinaliter hiantem convolutum (albidum, marginibus sature violaceis.) *Stamen* unicum, longitudine urceoli, laciniae mediae interiori corollinae adnatum. (Filamentum albidum. Anthera flava). *Pistillum:* Ovarium inferum, subglobosum. Stylus (albidus, latiuscule) linearis, carnosus, spiraliter convolutus, apice coloratus (violaceus), capuciformis, in processum planum (ovatum) continuatus. *Stigma* recessus in Styli apice capuciformi, infra processum subovatum vasculosus.

Critica. Quem generis characterem *Schreberus* *) ex *Rottboellio* pro *Thalia* attulit, totus ad *Phrynium* pertinet. Noster ad *Phrynium cannaeforme* (Thaliam cannaeformem Willd.) formatus est. Verae *Thaliae* fortasse nonnisi ex America expectandae.

---

*) Gen. plant. n. 10.

Specierum novarum, et varietatum notabiliorum in Hungaria detectarum descriptio.

170.

Polycnemum verrucosum Láng.

Char. spec. P. foliis subulato-triquetris, alternis, remotis, adpressis; caule ramosissimo, adscendente, flexuoso, angulato, verrucoso, scabriusculo.

Descriptio. Radix annua, tenuis, filiformis, ramoso-tortuosa. Caulis herbaceus a basi ramosissimus, ramis sparsis, a pede ad cubitum elongatis, procumbentes, versus apicem adscendentes, filiformes, flexuosi, angulati, nonnunquam rubentes verrucoso-scabriusculi. Folia alterna, remota, subulato-triquetra, sessilia, subcarnosa, cauli adpressa, verrucoso-scabriuscula. Flores in axillis foliorum solitarii, sessiles. Corolla petalis quinque calyciformibus subaequalibus, ovato-lanceolatis, uninerviis, membranaceis, pellucidis, arcte germini adpressis, persistentibus, capsula vix brevioribus. Bracteis (aliis Calyx) duobus ad basim corollae ovato-acuminatis, patentibus, albis, pellucidis corolla brevioribus. Stamina 3—5 corolla breviora. Germen subrotundum, compressiusculum. Stylus brevis. Stigma subrotundum. Capsula tenuissima, membranacea, pellucida, basi demittens semen reniforme-subrotundum, nigrum, punctatum.

Critica. Differt a P. arvensi Auct. et P. inundato Hop. praecipue: caule ramosissimo, ra-

mis omnibus procumbenti-adscendentibus, angulato-flexuosis, verrucoso-scabriusculis, foliis minutis cauli adpressis, carnosis, alternis, bracteis ovato-acuminatis corolla brevioribus.

Patria: Habitat in plagis arenosis, aridis, comitatus Pestiensis, Cumaniae, Faszygiae.

171.

Nuphar sericea Láng.

Char. spec. N. calyce quinquesepalo, stigmate dentato 12—20 radiato, sericeo, profunde umbilicato, foliis ovali-cordatis, lobis subapproximatis, petiolis teretibus sericeis.

Descriptio. Radix sublignosa. Petioli subrotundi, striati, sericei. Folia cordato-oblonga, integerrima, natantia, et exserta, pagina inferiore obscure viridi, auriculis divaricatis. Pedunculi teretes, striati, sericei. Flores supra aquam exserti lutei, odorem quasi lilacinum spargentes. Calyx sepalis quinque obtusissimis, petalis multo longioribus, margine subcrenatis. Petala calyce multo minora truncata, dorso nectarifera. Stigma subrotundum, sericeum, profunde umbilicatum 12—20 radiatum: radiis margine in dentes solutis. — Satis differt a N. lutea DC., cui proxima, characteribus enumeratis.

Patria: Habitat in fossis ad Danubium procul Vaczio.

172.

Erophila spathulata Láng.

Char. spec. E. siliculis subrotundis pedicello

brevioribus, scapis 3 — 6 floris, foliis spathulatis integerrimis.

Descriptio. Radix gracilis, emittens fibrillos capillaceos, albidos. Scapus 1 — 1½ pollices longus, erectus, subangulosus, hispidulus, basi plerumque purpureus, hirtus, 3 — 10 florus. Folia in orbem digesta spathulato-lanceolata, integerrima (rarissime dentata) utrinque pilis subramosis albis hirta. Calyx laxiusculus, hirtus, siliculis subrotundo-lanceolatis hispidulis.

Critica. Ab E. praecoci Stev. differt: siliculis subrotundo-lanceolatis, hispidulis, pedicello brevioribus, calyce hirto, scapo hispidulo, foliis spathulatis hirtis. Ab E. vulgari Auct. diff. siliculis subrotundo-lanceolatis hispidulis, calyce hirto, scapo subanguloso, hispidulo, foliis spathulato-lanceolato integerrimis, pilis subramosis hirtis.

Patria: Habitat in montibus calcareis Budae.

173.

Genista pubescens Láng.

Char. spec. G. foliis ovato-lanceolatis, mucronatis, pubescentibus, ramis striatis erectis; leguminibus falcatis glabris.

Descriptio. Caulis adscendens, villosus, striato-subangulosus, superne ramosus, ramis, erectis; foliis ovatis, et ovato-lanceolatis, mucronatis, sessilibus, utrinque pubescentibus 3 — 5 nerviis, stipulis linearibus, minutissimis, hirsutis. Racemus terminalis foliatus, floribus axillaribus subpedunculatis, bracteis ad basim duobus minu-

tissimis hirsutis. Calycis dentibus ½ lanceolato acuminatis, subaequalibus, ciliatis. Corolla vexilla alis patentibus, breviore, ovato, striis bruneis notato, carina obtusa, leguminibus subarticulato-falcatis glabris.

Critica. Species media inter G. tinctoriam Auct. et G. ovatam Kit. a priori diff. caule, foliis, stipulis, bracteisve pubescentibus, a posteriore potissimum legumine glabro.

Patria: Habitat in sylvis umbrosis comitatus Pestiensis, Hevesiensis.

174.

Lathyrus grandiflorus Láng.

Char. spec. L. pedunculis multifloris, cirrhis 3 phyllis ramosis, foliolis elliptico-lanceolatis mucronatis, internodiis late membranaceis.

Descriptio. Caules procumbenti adscendentes 3—5 pedales, glabri, ramosi, internodiis latomembranaceis, nervosis, margine aculeis minutis ciliatis, ancipites. Folia alterna, glabra, foliolis binis elliptico-lanceolatis, mucronatis, multinerviis, margine aculeis ciliatis. Petiolus anceps, cauli similis, terminatus cirrho triphyllo-ramoso, stipulis semisagittatis ovato-acuminatis, nervosis, margine aculeis ciliatis. Pedunculis alaribus elongatis 10—12 pollices longis angulosis multifloris (5—15) floribus speciosis, magnis, roseis. Leguminibus patentissimis subfalcatis glabris.

Critica. A L. latifolio Auct. differt: cirrhis triphyllis ramosis, stipulis semisagittatis ovato-

acuminatis. A L. sylvestri Auct. diff. foliis elliptico-lanceolatis, cirrhis triphyllis, ramosis, stipulis semisagittatis ovato-acuminatis, alis caulinis, petiolis, foliisve margine aculeis ciliatis. — A L. heterophyllo. Roth. alis caulinis foliorum latitudine longe angustioribus, aculeis ciliatis, foliis multinerviis.

Patria: Hab. ad sepes inter vineas Budae. Vaczii, Agriae.

175.

Hieracium auriculoides Lang.

Char. spec. H. scapo tri-quadrifolio, piloso, multifloro, floribus subcymosis, foliis lanceolatis utrinque attenuatis, stolonibus repentibus.

Descriptio. Scapo erecto 2—4 folio, pedali, et bipedali, striato, tomentoso-piloso, pilis albis patentissimis longis e puncto nigro ortis. Foliis lanceolatis utrinque attenuatis, radicalibus in petiolum decurrentibus, caulinis, et in stolonibus sessilibus, omnibus margine integerrimis, undique pilosis, pilis patentissimis. Floribus subcymosis: cyma constans e floribus 12—20 confertis saturate luteis parvis, insidentes pedunculis (florigeris subcymosis fructigeris subcorymbosis) tomentoso-pilosis, pilis patentissimis. Calyx generis imbricatus, subovatus, pilosus, phyllis linearibus acuminatis.

Critica. Species media inter H. Auricula Auct. et H. Bauhini Schul: a prima differt: scapo

3—4 folio foliis omnibus integerrimis, stolonibus, pedunculis, calycibusve pilosis, pilis longis patentissimis, — ab altera: scapo, foliis, stolonibus, pedunculis, calycibusve pilosis.

Obs. Willd. Spec. Plant. et Schul. Oesterreich. Flora, sub H. Auricula diversas species intelligere videntur: cum Willd. l. c. H. Auricula adscribit: folia integerrima, flores umbellati. — Schul. l. c. folia denticulata, flores cymosi.

Patria: Hab. in montibus calcareis Budae. Vaczii.

176.

Hieracium obscurum Láng.

Char. spec. H. scapo subquinquefloro tomentoso-piloso, foliis in petiolum decurrentibus, lanceolatis, integerrimis, stolonibus nullis.

Descriptio. Caule subadscendenti-erecto, semipedali 2—6 floro, tomentoso-piloso, sub tomento striato. Foliis radicalibus lanceolatis, in petiolum decurrentibus, integerrimis, caulinis ad basim pedunculorum sessilibus, lanceolatis, omnibus supra viridibus pilosis, pilis longis albis, infra tomentoso-canis, pilis longis intermixtis. Flores 2-6 magnitudine H dubii, sulphurei, insident pedunculis elongatis tomentoso-pilosis, caulem subramosum, ramis unifloris repraesentantes. Calyx generis tomentoso-pilosus, pilis albis, punctisve nigris intermixtis.

Patria: Habitat in amoena declivitate montis Naggszály Vaczii.

177.

Populus villosa Lang,

Char. spec. P. foliis suborbiculatis, acuminatis, sinuato-dentatis, mollibus, utrinque sericeo-villosis, ramulis junioribus pubescentibus.

Descriptio. Arbor 3—5 orgyarum alta, cortice cinereo, ramis alternis, patentibus, ramulis praesertim folia gerentibus, sericeo-pubescentibus. Foliis alternis, subrotundo-ovatis, acuminatis, sinuato-dentatis 3—5 nerviis, utrinque sericeo-villosis, mollibus, pagina superiore viridibus, inferiore albicantibus. Petiolis laxiusculis foliis longioribus, villosis, filiformibus, compressiusculis, basi dilatatis. Gemmis floriferis ovato-conicis, ferrugineis, nitidis, viscidis, margine laceris, a disco ad basim lineis saturatioribus notatis. Amentis foemineis cylindrico-attenuatis, laxis, brunneis, villosis. Squamis subrotundo-ovatis petiolatis, glabris, pistillo longioribus, fuscis, a disco ad apicem dentato-laceris, dentibus inaequalibus lineari-acuminatis, pilosis, pilis patentibus. Pistillum ovato-conicum, pedicellatum, glabrum. Stigma 4 fidum, lineare, contortum. Capsula ovato-conica, glabra. Semen papposum.

Obs. Species media inter P. trepidam et P. tremulam Auct.

Patria: Hab. in montibus sylvaticis Budae.

178.

Euphorbia homophylla Lang.

Char. spec. E. umbella multifida, dichotoma,

involucellis ovato-lanceolatis, foliis lineari-lanceolatis integerrimis, capsulis subpubescentibus.

Descriptio. Radix perennis emittens caules plures pedales, et bipedales, adscendentes, teretes, striatos, glauco-virides, inferius a casu foliorum cicatrisatos. Foliis sparsis lineari-lanceolatis, sessilibus, integerrimis, subcoriaceis, glaucis, subcarinatis, reflexis. Floribus in umbella 9 — 12 fida, dichotoma, cum rudimento floris imperfecti, reliqui in axillis dichotomae, et involucellarum locati pedunculati, radiis umbellae erecto-patulis, glabris, striato-angulosis, rameo uno alterove dichotomo florifero radiis aequali sub umbella erecto-patulis, glabris, striato-angulosis, ramo uno alterove dichotomo florifero, radiis aequali sub umbella. Involucrum reflexum enneadodecaphyllum, foliolis lanceolatis, aut linearilanceolatis, caulinis similibus, involucellis diphyllis ovato-lanceolatis, acutis, sessilibus, patentissimis, integerrimis, subcoriaceis, glaucis. Calyces obverse conici, flavi, angulati, subpubescentes, dentibus quinque lanceolatis inter petala — sterilibus quinque, fructiferis quatuor — minuta, concava, obcordata, aurantiaca. Germen obtuse triangulum, glabriusculum, pedicellatum. Stylus tripartitus. Stigma bifidum apicibus rotundatis. Capsula subrotunda, immatura subpubescens, matura glauca, sulcis tribus evidentioribus lineis dorso notatis tricocca.

Patria: Hab. in declivitate montis Naggszálz Vaczii.

Euphorbia epithymoides Willd. β. laxiphylla Láng.

Differt: Involucellis ovatis integris, foliis ellipticis laxis. *Hab.* in vallibus sylvaticis Budae.

Euphorbia helioscopia. Willd. β. pusilla Láng.

Differt: Caule simplici digitati, foliis caulinis obovatis, infimis obcordatis, amplexicaulibus, umbella (subnulla) sessilis, involucris spathulatis serratis. *Hab.* in montibus calcareis Budae.

Acer campestre L. β. villicarpum Láng.

Differt. Foliis, petiolis, pedunculisve pubescentibus, capsulis sericeis, alis suberecto-patulis. *Hab.* in sylvaticis comitatus Albae Regalensis.

Galium palustre L. β. leiogonum Láng.

Differt. Foliis margine, et caule angulis glabris. *Hab.* in paludosis ad Sétény.

Parietaria officinalis L. apalophylla Láng.

Differt. Caule piloso, foliis tenuioribus longo petiolatis, margine ciliatis, pagina superiore nitentibus inferiore pubescentibus, glomerulis axillaribus paucifloris. — *Hab.* in silvis umbrosis ad Ránto.

Pedicularis palustris Willd. β. laevicaulis Láng.

Differt. Caule erecto, subanguloso, glabro, calyce inflato hirsuto. — *Hab.* in humidis comitatus Pestiensis.

Asplenium Ruta muraria L. β. elatum Láng.

Differt. Stipite squamoso basi fuscescente, frondibus subtripinnatis, pinnis cuneiformibus apice dentatis. — *Hab.* in saxis calcareis ad Sárkány C. Hevesiensis.

Adolphus Franciscus Láng,
Pharm. Magister.

179.

Matthiola arborescens. Sternb.

Char. spec. M. caule frutescente erecto, foliis in petiolum decurrentibus lanceolatis incanis, siliquis teretibus subtorulosis piloso-glandulosis.

Syn. Cheiranthus arboreus Sieber cent. exsic.

Descriptio. *Caulis* basi frutescens, teres, glanduloso-scaber, orgialis et major, in parte superiori nondum lignescente pilis stellatis et aliis glandulosis tectus. *Folia* alterna, in petiolum decurrentia, lanceolata, inferiora tripollicaria, remote dentata, superiora pollicaria, integerrima, pube stellata utrinque tomentosa, canescentia. *Racemi* terminales, post anthesin pedales et ultra, pube canescentes et glandulis exsiccatis scabriusculi. Pedicelli distantes, pollicares. *Flores* inodori. *Calyces* clausi, cylindracei, 6 lineas longi, pube canescente molli tomentosi, sepalis linearibus basi inaequalibus. *Petala* unguiculata, limbo late-obovato, apice obtusissimo, subretuso. *Siliquae* patentes, bipollicares, te-

retes, subtorulosae, tomentosae, scabrae, stigmatibus 2 crassis approximatis terminatae.

Patria: Habitat in Insula Creta.

Obs. Affinis *M. ellipticae*, differt vero statura majori, caule basi pollicari, scabritie, floribus inodoris, et notis indicatis. E seminibus ab itineratore D. *Sieber* ex insula Creta allatis educatus, quarto demum anno floruit et semina matura perfecit.

Casp. Com. de Sternberg.

Plantae novae aut minus cognitae. Auctore F. de P. de Schrank. Pars prima.

180.

1. *Canna lanceaefolia.*

Char. spec. C. calycis foliolis ovatis, obtusis; corolla interiori quadripartita: laciniis emarginatis; lacinia filamenti revolute unicolori; foliis dense oblique serratis ♃. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia, unde D. de *Martius* semina misit.

Descriptio. Caulis, qua parte foliorum spathis tegitur, subcompressus, atque adeo basi anceps. *Folia* lanceolata, acuta, subangustiora, dense oblique striata. *Flores* terminales calyce excepto toti flavi; corolla exterior sublurida, atque paulo minor interiori; interior profundissime quadripartita: laciniis apice emarginatis, deorsum angustatis, atque basi canaliculatis, totis luteis.

Filamentum, ut in genere moris est, petaloideum, bilabiatum: lacinia altera margine antherifera, altera revoluta, utraque plane flava, immaculata.

Vidi etiam Florem, in quo utraque lacinia antherifera erat.

Qui vivam comparare potest, facile videt, illam a *Canna lutea* hortorum certissime differre; sed character posterioris emendari debet; hinc

2. *Canna lutea.*

Char. spec. C. calycis foliolis lanceolatis; corollae interioris tripartitae laciniis emarginatis; lacinia filamenti revoluta, saturatius lineolata; foliis oblongo-ovatis, acuminatis. ♃. v. v.

Patria: Habitat in India.

Obs. *Corolla* omnis lutea, etiam utraque filamenti lacinia, sed horum illa, quae revoluta est, lineolis fulvis rubrisve picta. *Folia* oblongo-ovata, remotius striata.

181.

3. *Cucurbita pinnatifida.*

Char. spec. C. foliis pinnatifido-septem lobatis: lobis infimis pinnatifidis; pomis obovatis, glabris. ⊙.

Patria: Habitat in Brasilia, unde D. de *Martius* semina misit.

Descriptio. *Folia* oblonga, in lacinias septem secta sunt, oblongas, subincisas, obtusas: subtus canescentes; par laciniarum infimum denuo pinnatifidum: laciniis eodem sese modo ha-

bentibus. *Flores* flavi, non magni, extus virescunt. *Caulis* junior valde hirsutus est.

182.

4. *Eleusine gonantha.*

Char. spec. E. spicis digitatis, subternis; spiculis trigonis, muticis; flosculo hermaphrodito neutrum includente, margine et carina basi ciliatis; foliis depilibus, margine scabris. ♃. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia, unde D. de *Martius* semina misit.

Descriptio. *Culmus* compressus; foliis distichis, linearibus, semipedalibus pedalibusve, facile quatuor: certe ultra tres lineas latis, margine scabris, carina nonnisi leviter scabriusculis, caeterum glaberrimis. *Culmus* folio longissimo duplo altior, apice spicas tres, horizontales gerens; spiculis alternis, secundis, trigonis, bifloris, polygamis: hermaphrodito neutrum includente, utroque fusco; hermaphrodito margine et carina basi dense ciliato: ciliis albis. *Antherae* niveae; stigmata plumosa, atropurpurea.

183.

5. *Eleusine tristachia.*

Char. spec. E. spicis digitatis, subternis; spiculis subquadrifloris, muticis; foliis superne parce pilosis: pilis longis. ⊙. v. v.

Descriptio. Similis E. indicae, sed longe tenerior. *Spicae* mihi semper tres occurrerunt,

quarum duae conjugatae, tertia subremota est. Flosculorum valvae membranaceae, albae, cum nervo magno medio in valvula inferiori. *Stigmata* atro-purpurea, setacea, leviter tantum plumosa.

184.

6. *Panicum tenuiflorum.*

Char. spec. P. spicis digitatis, subsenis, elongatis, filiformibus; rachi flexuosa, parce pilifera; foliis lanceolatis, margine asperis, parce pilosis, vaginis pilosissimis, pilis omnibus longis, patentissimis ♃. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia inter Tejuco et Bahiam, ubi D. de *Martius* semina collegit.

Descriptio. Gramen (in olla) spithamas tres altum, ex una radice multicaule; culmi usque ad summum foliosi, ut etiam spicae adhuc ex vagina emergant. *Folia* omnino anguste lanceolata, valde acuta, digitum intermedium uno articulo auctum longa, unguem digiti auricularis lata qua parte latissima sunt, margine aspera. carina laevia, utraque pagina parce pilosa; vaginae pilosissimae; ligula brevis, transversa, basi rubello-colorata. *Spicae* ex apice culmi, alternae, filiformes, valde longae et debiles; rachis flexuosa, pilis solitariis paucissimis instructa, digitum medium articulo uno auctum aequans, sed tenuissima; flosculi subalterni, subpedicellati, omnes hermaphroditi; valvula tertia ita minuta est, ut magna industria quaeri debeat. Pili omnes in tota planta albidi, longi, tenues, patentissimi.

185.

7. *Panicum brevifolium.*

Char. spec. P. spicis alternis: inferioribus pedunculatis; peristachyis bifloris: masculo et hermaphrodito; seminibus glaberrimis, semiglobosis; ligula nulla; culmis subramosis. ⊙. v. v.

Panicum brevifolium. *D. Jahn in litt.*

Patria: Habitat in India.

Descriptio. *Culmi* circiter spithamas duas alti, erubescentes et subramosi, nodis tribus distincti, rami paucioribus. *Folia* non proprie brevia, vidi enim, quae semipedem aequabant, deorsum nonnihil attenuata; ubi latissima sunt, unguem fere digiti minimi obtegentia, utrinque glaberrima, margine tamen ex denticulis longe minimis, glaberrimis asperiuscula. *Setae* ad basin cujusvis spiculae plures.

186.

8. *Agrostis diandra.*

Char. spec. A. panicula elongata, ramis subalternis, brevissimis: florentibus adpressis, fructiferis patentibus; spiculis secundis, adpressis; foliis planis rachique glaberrimis. ♃. v. v.

Agrostis diandra. *Hornem. hort. hafn. p. 73. n. 9.*

Patria: Habitat in India.

Critica. Videtur ab *A. diandra Retzii**)

---

*) Obs. bot. V. n. 37.

distinguenda, quia de nostra dici nequit, illam habere folia subulata, quum plana sint.

Descriptio. Elegans gramen. *Culmus* pedalis bipedalisve, etiam altior, trinodis, superne simpliciusculus, sed ad nodum primum ramosus, imo subinde subramosus etiam ad secundum. *Folia* vix $\frac{1}{3}$ longitudinis culmi metiuntur, anguste lanceolata seu ferme ensiformia, plana. *Panicula* pedalis et quod excedit: ramis alternis, biuncialibus (infimis triuncialibus), sursum sensim abbreviatis: ramulis paucissimis, adpressis. *Flosculi* adpressi, brevipedicellati aut sessiles. *Stigmata* penicillata; *ovarium* viride, apice rubrum. *Stamina* nonnisi duo.

187.

9. *Poa articulata.*

Char. spec. P. foliis vaginisque hirsutis; panicula patente: pedicellis sub spicula articulatis; spiculis subnovemfloris. ♃. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia.

Descriptio. Culmi plures ex eadem radice, foliosi, ramosi, semipedales, spithameive, glaberrimi, uti et panicula, sed vaginae et folia valde hirsuta: folia tamen circa basin paginae inferioris glabra. Rami paniculae et pedicelli capillares, nodulus flavescens ad omnes paniculae divisiones, et praeterea nodulus hujusmodi seu articulatio, exiguo infra spiculum intervallo. *Spicula* oblonga, compressa, subnovemflora, flavescens;

flosculorum valvulae exteriores trinerviae, late ovatae, concavae, argute acutae.

188.

10. *Galium caucasicum.*

Char. spec. G. foliis octonis senisve, linearibus, asperis, margine revolutis, subtus canaliculatis, fructibus tomentosis. ♃. v. v.

Galium caucasicum. *Dr. F. Fischer in litt.*

Patria: Habitat in Caucaso.

Descriptio. Caulis 2—3 pedes altus, ramosus, minute pubescens. *Folia* stellata, patentia, linearia, acuta, depilia quidem, sed tota pagina superiore setulis subtilissimis aspera, margine revoluta, et inde etiam canaliculata; numerus variat; plerumque sena sunt, sed non raro octona. *Paniculae* oppositae ex axillis superioribus. Fructus tomentosi.

189.

11. *Urtica angustifolia.*

Char. spec. U. mitiuscula; foliis oppositis, subcordato-lanceolatis, acuminatis, grosse serratis, trinerviis; setulis absque apophysi; pedunculis verticillatis, ramosis; florum glomerulis androgynis. ⊙. v. v.

Urtica angustifolia. *Dr. Fischer in litt.*

Patria: Habitat in Davuria.

190.

12. *Anchusa versicolor.*

Char. spec. A. corollarum limbo regulari; ca-

lycibus campanulatis, angulatis, unguinosis, fructiferis deflexis, foliis lanceolatis, sessilibus, subhispidis, obsolete dentatis: floralibus calyce longioribus. ⊙. v. v.

Anchusa versicolor. *Dr. F. Fischer in litt.*

Patria: Habitat in Caucaso, ubi a D. Consiliario Status *de Steven* lecta est.

Critica. S. A. roseae, et A. pictae, sed videtur ab utraque distincta.

Descriptio. Altitudinem attingit superatque pedalem, et tota, praesertim caule calycibusque subunguinosa est. *Caulis* sub compresso-teres, setosus (et inde nonnihil pungens), pallide viridis, foliosus, ramosus. *Folia* sessilia: superiora semiamplexicaulia, omnia lanceolata, obscure dentata, brevipilosa, intermixtis tamen setis longioribus, pagina superiori sulco longitudinali inscripta, subtus nervo carinato, squamis rigidiusculis, subpungentibus vestito percursa. *Flores* solitarii ex axillis superioribus, pedunculati quidem, sed pedunculis breviusculis. Ex axillis inferiorum foliorum floralium oritur nonnunquam ramulus floridus, qui subinde ipse iterum prolifer fit, sed prolificationem non absolvit. *Calyces* corolla breviores, campanulati, quinquangulati, quinquefidi (non quinquepartiti). *Corolla* infundibuliformis, tubo cylindrico, albo sub fauce fornicibus minutis, ciliatis clauso; faux ipsa patula, subdilatata, virescens. Limbus quinquefidus, regularis, laciniis caeruleis linea longitudinali alba et margine linea atrosanguinea inscripta. *Calyx* fructifer reversus.

191.

13. *Convolvulus pensylvanicus.*

Char. spec. C. volubilis, pubescens, foliis ovato-lanceolatis; pedunculis petiolo longioribus, solitariis, unifloris. ⊙ ? v. s.

Patria: Habitat circa Bethlehem Pensylvaniae. *Mühlenberg* teste Herbario Schreberiano.

Obs. Folia fere triuncialia, solidam unciam lata. Flores videntur albi fuisse.

192.

14. *Convolvulus? heterophyllus.*

Char. spec. C. volubilis; foliis geminis, minutis, panduraeformibus, obtusissimis, trilobisve: lobo medio obovato obcordatove. ♃. v. v.

Patria: Habitat . . . . .

Obs. Plantam ex herbario Schreberiano novi, sed adglutinatam, quae de genere ambigo, quod stigma non videam.

Descriptio. Folia parva, petiolata, gemina, sed variae formae; alia simplicia, panduraeformia (usque ad petiolum tres lineas longa, paulo ultra lineam lata), obtusissima; alia triloba, et inter haec alia lobo medio obovato, alia obcordato; haec folia lobata reliquis constanter majora in eadem planta. *Flores* solitarii, magnitudine florum C. arvensis.

Qui misit, nomen triviale *Jpomoeae hepaticaefoliae* adscripsit, quod posterior manus delevit, nomen *Convolvuli pandurati* substituens, quod certe falsum est.

193.

15. *Convolvulus undulatus.*

Char spec. C. volubilis, hirsutus; foliis cordatis, acuminatis, integerrimis, undulato-plicatis; pedunculis petiolo longioribus, subquadrifloris. ⊙. v. v.

Patria: Habitat . . . .

Obs. Semina sine nomine et indicio patriae missa sunt. *Flores* parvi; *Corollae* caeruleae. Duo stigmata quidem, ut in genere, oblonga sunt, sed situm transversum seu horizontalem habent.

194.

16. *Ipomoea soldanellaefolia.*

Char. spec. I. foliis orbiculatis, integerrimis cauleque pubescentibus; pedunculis axillaribus, solitariis, subtrifloris. ⊙ v. v.

Patria: Habitat in Brasilia inter Bahiam et Maragnonum. D. *de Martius.*

Obs. Planta vix dimidiam spithamam alta, erecta, caule filiformi simplicissimo. Folia forma et magnitudine *Soldanellae montanae*, sed utrinque pubescentia. Corollae caeruleae, laciniis undulatis, quaevis apice mucronulata.

195.

17. *Polemonium muricatum.*

Char. spec. P. floribus laxe racemosis; foliis numerose pinnatis; caule pubescente, subungui-

noso; calycis angulis caruncula glandulosa instructis. ♃. v. v.

Polemonium muricatum. *Lagasca in litt.*

Patria: Habitat in Mexico.

Flores subnutantes. Corollae pallide caeruleae. Folia ciliata.

196.

18. *Solanum molle.*

Char. spec. S. caule dense aculeato; foliis cordatis, obtuse angulatis, mollibus, utrinque petiolisque aculeatis: aculeis rectis; corollarum laciniis elongato-lanceolatis, extus pubescentibus. ♃. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia, unde *D. de Martius* semina misit.

Descriptio. Caulis teres, dense pubescens, et satis aculeis stipatus; aculei hi utcunque mediocres, albidi, basi erubescentes, plerumque deorsum spectantes. Rami parci, parvi. *Folia* satis magna, *Solani aculeatissimi* similia, sed angulis obtusis, et pagina utraque ob pubescentiam densam, brevem (nonnihil oleosi sudantem) ad tactum mollia; sed utraque haec pagina ad venas armatur aculeis sparsis, perpendicularibus, caulinos referentibus. *Flores* in cymis depauperatis, ex caulis ramorumque latere oriundis, et cum foliis alternantibus, plerumque abortientibus. *Corollae* albae: laciniae sublanceolatae, subrevolutae. *Calyx* parvus.

197.

19. *Solanum atropurpureum.*

Char. spec. S. caule fruticoso, aculeis rectis, reversis obsito; foliis profunde pinnatifidis, utrinque aculeatis, glabris, margine et subtus ad venas ciliatis; laciniis oblongis, subintegris. ♄. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia, unde *D. de Martius* semina misit.

Obs. Omnis planta in juventute quidem viridis est, sed caulis, rami, imo petioli (qui tamen plerumque virorem retinent) atropurpureum colorem induunt. Etiam aculei atropurpurei, nec illis quidem demtis, quibus folia armantur. *Folia* pagina utraque sature viridia; corollae ochroleucae.

Descriptio. *Caulis* basi aculeis reversis obtectus adeo, ut ipse oculis eripiatur, sursum tamen aculei nonnihil rariores, sed etiam robustiores fiunt, quod etiam in foliorum utraque pagina obtinet. *Folia* in lobos 9 profunde laciniata, quorum octo oppositi sunt; caeterum pagina superiori glabra seu depilia, subtus brevibus pilis obiter induta, nihilominus utraque pagina nitentia; lobi oblongi, plerumque simplices, rarius angulo uno alterove prominulo instructi. *Florum* umbellae depauperatae nullo ordine per caulem ramosque disseminatae.

198.

20. *Solanum uncinatum.*

Char. spec. S. caule aculeato: aculeis recur-

vis; foliis lanceolatis, pinnatifido-sinuatis, subtus tomentosis stellatoque pilosis, rachi utrinque aculeata; paniculis oppositifoliis; corollae laciniis oblongis, apice acuminato-uncinatis; calycibus inermibus. ♄. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia. In horto ortum ex seminibus a *D. de Martius* missis.

Obs. Corollae lilacinae; staminum filamenta brevia; antherae fere in formam ovi connatae Aculei foliorum recti.

199.

21. *Solanum incarceratum.*

Char. spec. S. aculeatissimum, pubescens; aculeis inaequalibus, rectis; foliis cordatis, sinuato-angulatis, apice angulisque acutis: inferioribus alternis, superioribus geminis; calyce inermi; corolla quinquepartita. ♄. v. v.

Solanum incarceratum. *Dunal hist. des Solan. p.* 219. *u.* 160.

Patria: Habitat in Brasiliae regionibus interioribus.

Descriptio. Omnino suffrutex, sed altus, facile quadripedalis, parum aut vix ramosus, nisi putetur, aculeatissimus; aculeis omnibus rectis, pallidis, majoribus minoribusque, praeterea totus pubescens. *Folia* circumscriptione cordata, angulato-lobata, utrinque aculeata, pubescentia, palmo majora: inferiora alterna, solitaria, superiora gemina: altero duplo minore. Petioli aculeis minu-

tis hispidi. Pedunculi laterales, breves, subinermes, in pedicellos plures variae longitudinis soluti, unifloros, subpilosos. *Calyx* parvus, inermis, pubescens, quinquepartitus: laciniis lineari-lanceolatis. *Corolla* satis magna, sature violacea, quinquepartita: laciniis lineari-lanceolatis, patentibus, apice reflexis. *Stamina* corolla duplo minora: filamenta subnulla, antherae connexae, luteae.

200.

22. *Rhamnus obscurus.*

Char. spec. Rh. inermis; foliis obovato-oblongis, integerrimis, glabris, nitentibus, basi postica biglandulosis; floribus axillaribus, sessilibus. ♄. v. s.

Patria: Habitat in Jamaica.

Obs. Inveni plantam in herbario Schreberiano, a Swarztio missam, cum observatione, illam in *Flora Indiae occidentalis* non haberi.

Descriptio. *Folia* integerrima, nitida, ovato-oblonga, petiolata (fortasse pendula, aut certo nutantia), $3\frac{1}{2}$ dig. longa, $1\frac{3}{4}$ dig. lata, cum petiolis glaberrima, ad basin posticam nervi medii utrinque glandula oblique oblonga. *Flores* examen adcuratius respuebant.

201.

23. *Celosia exstipulata.*

Char. spec. C. exstipulata; foliis oblongo-lanceolatis, in totum petiolum decurrenti-atte-

nuatis; spicis terminalibus, aphyllis, cylindricis. ♄. v. v.

Celosia exstipulata. *Hornem. in litt.*

Patria: Habitat in Nepaul.

Descriptio. Caulis erectus, virgatus, glaber, teres. *Folia* oblongo-lanceolata, obtusiuscula, cum aristula prominente, integerrima, per totum petiolum attenuato-decurrentia. *Bracteae* seu folia floralia omnino desunt. *Flores* terminales, spicati; spicae teretes, saepe ultra quatuor pollices longae, albae cum levi tinctura rubedinis. Non solum hae spicae, sed etiam apices caulis et ramorum folio carent omni. Praeter has spicas terminales in summorum foliorum axillis latent quaedam, sed abortientes. *Calyx* dimidiam corollam non aequat, illi concolor, rubenti-alba, quo colore etiam *stamina* cum sua coronula, in quam basi connati sunt, gaudent. Ovaria viridia; styli rubri.

202.

24. *Myrrhis tenuifolia.*

Char. spec. M. caule aequali, decumbente; foliis supradecompositis; foliolis angustissime linearibus; involucellis umbellulam superantibus, longe ciliatis. ♃. v. v.

Chaerophyllum tenuifolium. *Fisch. in litt.*

Patria: Habitat ad Wolgam.

Colitur sub dio.

203.

25. *Tacca integrifolia.*

Char. spec. T. foliis ovatis, acuminatis. ♃. v. v.

Tacca integrifolia. *Ker.*

Patria: Habitat forte in Moluccis.

Descriptio. *Rhizoma* supraterrestre, transverse ovatum, tectum petiolorum basibus. *Folia* radicalia petiolata, ovata, acuminata, costata, tripalmaria; petioli semiteretes, canaliculati, asperi, atropurpurei (cujus coloris etiam costae folii junioris sunt, dilutioris tamen, sed per aetatem virides fiunt), basi dilatata rhizoma amplectentes. *Caulis* nullus. *Scapus* ex rhizomate, primo suberectus, dein depressus, nec tamen omnino decumbens, asper, angulatus, atropurpureus, apice florum umbellam gerens. — *Involucrum* tetraphyllum, proprie cruciatum, sed non situ cruciato: foliola enim duo opposita ovata, acuta, sessilia, patentia, concava, nervosa, purpurascentia, nervis saturatoribus, duo alia erecta, ovata, utrinque attenuata, viridula, nervosa: nervis purpurascentibus. *Umbella* quadriflora: flores atropurpurei. Pedicelli teretes, glabri, involucro breviores. *Calyx* adnatus, atropurpureus, superne sexpartitus, parte adnata obverse conica, obtuse angulata, laciniae oblongae, pallidiores. *Corolla* calyci adnata, atropurpurea, minima, hexapetala: petalorum margine undique involuto. *Staminum* filamenta nulla, antherae oblongae, biloculares, parieti petalorum interno adnatae. *Pistillum:* Ovarium calyci connatum; Stylus brevissimus; Stigma magnum, peltatum: pelta stellata, supra membrana petaloidea tecta, infra radiis omnibus area carnosa albida, a

membrana illam excedente perfecte tecta. *Bacca* sicca, angulata, unilocularis, polysperma.

204.

26. *Correa virens.*

Char. spec. C. foliis oblongo-cordatis, fasciculato-pubescentibus; floribus pendulis. ♄. v. v.

Correa virens. *Aiton Kew. II. p.* 349.

Patria: Habitat in Nova Hollandia.

Colitur in Tepidario.

Observ. Flores laterales. Pedunculus apice bifolius: foliis subconvexis, pendulis, et ita conniventibus, ut flores juniores includant.

205.

27. *Garuga pinnata.*

Char. spec. G. foliis impari-pinnatis: foliolis utrinque pubescentibus, lanceolatis, acuminatis, serratis: acumine subfalcato. ♄. v. v.

Garuga pinnata. *Donn. hort. cantabrig. p.* 137.

Patria: Habitat in India.

Colitur in Caldario.

206.

28. *Jussieua tithymaloides.*

Char. spec. J. caule angulato, hirsuto; foliis oblongis, pubescentibus, subsessilibus; floribus octandris: petalis orbicularibus, basi cuneatis; pedunculis ovario longioribus. ♃. v. v.

Patria: Habitat in Brasilia.
Colitur in Caldario.

207.

29. *Saxifraga fragilis.*

Char. spec. S. glutinosa; foliis tripartitis: laciniis divaricatis: media trifida, lateralibus profunde bifidis: lacinulis bifidis; floribus paniculatis; petalis calycem bis metientibus, integerrimis. ♃. v. v.

Saxifraga fragilis. *Herrmann.* — *Zeyher in litt.*

Patria: Habitat . . . . .
Colitur in Frigidario.

Descriptio. *Caulis* plusquam pedalis, et, uti tota planta (demtis corolla et genitalibus) glutinosa. *Caulis* basi ramosissimus, dein simplex, aphyllusque apice demto, ubi plerumque in longos, plerumque trifloros pedunculos dividitur, quorum quivis circa medium suae longitudinis folium unicum, sessile, lineari-lanceolatum habet; horum pedunculorum inferiores longiores sunt. *Corolla* alba; petala basi viridi-venosa, apice rotundata, integerrima. *Folia* in caulis ramorumque basi numerosa, petiolata, tripartita: laciniis divergentibus, media trifida, lateralibus duplicato-bifidis; sub quovis pedunculo folium simile, sed brevi-petiolatum.

Critica. Adest etiam in Herbario Schreberiano *Saxifragae* species ex horto Argen-

tinensi accepta, cum observatione ejus, qui miserat, illam in hoc horto sub nomine *S. hypnoidis* cultam esse, quod nomen ille in hoc aliud *S. fragilis* commutavit, addiditque, illam a *Saxifraga tridactylite groenlandica, caulibus valde foliosis (S. cespitosa. L.)* diversam esse. Quod quidem verum est, siquidem plantae in Herbariis comparentur; nescio tamen, an non planta groenlandica in Germaniam australiorem, praesertim in illius regiones depressiores ex patria aut summis alpibus, quas etiam incolit, delata, totum nostrae *S. tridactylitidis* habitum induat, a qua tamen duratione certe differt, quum non solum perennis esse, verum etiam facile taleolis propagari posse dicatur. Quidquid sit, ego ad plantam Schreberianam sequentem characterem descriptionemque concinnavi.

S. foliis rigidis: caulinis inferioribus longe pedunculatis, tripartitis: laciniis linearibus: lateralibus subtrifidis, divaricatis, superioribus ad pedunculos linearibus, sessilibus; corollis calyce duplo majoribus. ♃.

Descriptio. Caulis simplex, glaberrimus, apice in paniculam solutus, cujus rami elongati. *Folia* caulina inferiora longiuscule petiolata, tripartita: laciniis linearibus: lateralibus saepius trifidis bifidisve, extrorsum dilatatis; in caule superiori folia nulla, nisi ad pedunculorum pedicellorumque bases, et haec linearia, sessilia. *Panicula* glabra. *Petala* oblonga, integra, calycem bis metientia.

208.

30. *Saxifraga serrata.*

Char. spec. S. foliis circumscriptione ovatis, profunde grosseque serratis, glaberrimis, petiolis parce pilosis; caule aphyllo hirsuto, apice paniculato. ♃. v. v.

Saxifraga serrata. *D. Bar. de Welden in litt.*

Patria: Habitat forte in Italia.

Colitur in Frigidario.

Descriptio. Foliorum circumscriptio ut in S. umbrosa, sed magis carnosa, glaberrima et profunde serrata: serrae dentibus rudibus, acutis; petioli applanati, parcissime pilosi. *Caulis* aphyllus, erubescens, et ob hirsutiem incanescens. *Petala* alba, oblonga, punctis aliquot rubris et inter haec etiam flavis picta.

209.

31. *Saxifraga elegans.*

Char. spec. S. foliis subcordato-orbiculatis, grosse serratis, suprá glaberrimis, subtus parce pilosis, petiolo hirsutulo; caule aphyllo, pubescente, apice paniculato. ♃. v. v.

Saxifraga elegans. *Zeyher in litt.*

Patria: Habitat . . . .

Colitur in Frigidario.

Descriptio. Similis Saxifragae pubescenti, sed folia profunde et grosse serrata, pagina superiori glaberrima, inferiori nonnisi nervo medio et venis

majoribus pilosa. Pubes caulis rariuscula et brevior, quam ut hirsuties vocari possit. *Petala* alba, punctis quibusdam rubris et inter haec flavis picta. Ovarium insidet receptaculo carnoso ejusdem cum illo diametri.

210.

32. *Dianthus Seguieri.*

Char. spec. D. floribus subfasciculatis; squamis calycinis quaternis, lanceolatis, calyce brevioribus; foliis lanceolato-linearibus, margine scabris. v. s.

Patria: Habitat . . . . .

Observ. Dianthus Seguieri. *Vill.?* — Hoc nomine insignitus occurrit in Herbario Schreberiano Dianthi species, quam *Schreberus*, qui tamen illi nomen nullum imposuit, Dianthum Armeriam sequi jussit, a qua tamen specie differt: 1) glabritie perfecta omnium partium, 2) margine foliorum scabro, 3) squamis calycinis nonnisi dimidium calycem aequantibus, 4) petalis, quorum dentes nonnihil elongati sunt, etsi margo supremus seu circumscriptio arcus circuli sit. — Si hanc speciem *Seguierius* descripsisse censendus est, ego illius *Caryophyllum sylvestrem, flore rubro plurimo de summo caule prodeunte**) nostrum referre posse judico. . . .

---

*) Plant. veron. I. p. 333. tab. 7. fig. 2.

211.

33. *Dianthus tataricus.*

Char. spec. D. floribus solitariis, sparsis; petalis crenatis: ungue interne bicarinato; carinis inferne in planum unicum abeuntibus; foliis carnosulis, levissime cartilagineis. ♃. v. v.

Dianthus tataricus. *D. Fischer in litt.*

Patria: Habitat in Tataria occidentali.

Colitur sub dio.

Descr. Stamina brevissima, vix $\frac{1}{3}$ unguium corollinorum metientia, sed styli consuetam habent rationem ad corollam, quod tamen non impedit, quo minus insectorum ope foecundatio peragi debeat; nam etsi stigmata revoluta sint, eo usque tamen non descendunt, ut antheras attingant. Squamarum calycinarum numerus variat: ego certe vidi 2, 4, 6. *Caules* adscendentes, demum basi lignescunt.

212.

34. *Silene marginata.*

Char. spec. S. floribus terminalibus, racemosis, secundis; petalis plerisque emarginatis; foliis caulinis sessilibus, subspathulatis, dense pilosis. . . v. v.

Silene marginata. *Schott in litt.*

Patria: Habitat . . . . .

Colitur sub dio.

Observ. Simillima S. quinquevulnerae, praesertim floribus, sed omnibus partibus major

et perennis. *Caules* plures ex eadem radice, basi procumbunt.

213.

35. *Silene petraea.*

Char. spec. S. floribus terminalibus, racemosis; calycibus clavatis, striatis; petalis obcordatis, bipartitis: parapetalis erectis, stamina includentibus; foliis obverse lanceolatis spathulatisve, acutis. ♃. v. v.

Silene petraea. *D. Ledebour in litt.*

Patria. Habitat forsan in Sibiria.

Colitur sub dio.

Descriptio. *Radix* perennis. *Caulis* inde a basi ramosus, teres, pubescens, viridis, ad genicula tamen atro-sanguineus. *Folia* opposita, ex obverse lanceolata forma in spathulatam inclinantia, basi ciliata, pagina superiore glabra, vel pilis minimis paucis conspersa, inferiore densius pubescentia, minus tamen quam caulis. *Flores* terminales, racemosi, erecti. *Calyces* clavaeformes pubescentes, lineis decem elevatis angulati: angulis viridibus, sed sulcis expallescentibus; apice 5-dentati: dentes obtusiusculi, ciliati. *Petala* 5, rubro-purpurea, obcordata, usque ad unguem bipartita, patentia; parapetala bifida, erecta, margine albida, stamina includentia. *Staminum* filamenta subulata, alba; Antherae verae ellipses, sature rubro-purpureae. *Styli* tres, albidi; Stigma linea vasculosa ab apice fere usque ad basin

styli in parte interiori decurrens. *Fructus:* capsula trilocularis, polysperma.

214.

36. *Silene sibirica.*

Char. spec. S. floribus ex dichotomia caulis; fructibus ovato-conicis, calycibus viscidis, decemstriatis; petalis bifidis; parapetalis dentatis. ♃. v. v.

Cucubalus sibiricus. *Schweigg. in litt.*

Patria: Habitat in Sibiria.

Colitur sub dio.

Observatio. Similis S. conoideae, sed herbae summitatibus viscosis; calyces nonnisi decemstriati; et corollae pallide carneae.

215.

37. *Silene gypsophylloides.*

Char. spec. S. floribus paniculatis: panicula contracta; petalis subcuneatis, profunde emarginatis; calycibus decemstriatis; foliis anguste lanceolatis, cauleque dense pubescentibus. ⊙. v.v.

Silene gypsophylloides *(hoc certe nomine horto illata est, sine patriae indicio).*

Colitur sub dio.

Observ. Corolla ochroleuca; calyces subcylindrici, prope membranacei, striis decem longitudinalibus percursi.

216.

38. *Silene micropetala.*

Char. spec. S. floribus ex dichotomia caulis;

calycibus fructus ovatis, basi contractis, decemstriatis, villosis; petalorum lamina bipartita; laciniis angustissime linearibus; parapetalis erectis, indivisis, latitudine petali; foliis lanceolatis cauleque pilosis. ♃. v. v.

Silene micropetala. *Römer in litt.*

Patria: Habitat . . . .

Colitur sub dio.

Observ. Petala unicoloria, rosea; lamina in lacinias lineas angustissimas bipartita.

217.

39. *Triumfetta oblonga.*

Char. spec. T. octandra; foliolis calycinis corolla majoribus, apice cucullatis aristatisque; foliis trilobis, serratis: lobis acutis. ♄. v. v.

Triumfetta oblonga. *Hornem. in litt.*

Patria: Habitat in Napaul.

Colitur in Tepidario.

Descriptio. *Caulis* erectus, ramosus, teres, dense pilosus et fere hirsutus: sed pili erecti et breves. *Folia* alterna, petiolata, circumscriptione ut in T. *semitriloba,* sed majora, serrata, superne aspera, et utraque pagina pubescentia. *Stipulae* lanceolatae, angustissimae. *Flores* verticillati, brevissime pedunculati, parvi. *Calyx* 5-phyllus, ex viridi sordide erubescens: foliolis linearibus, corolla longioribus, apice cuculatis et aristatis. *Corolla* tetrapetala, flava: petalis suborbicularibus, basi cuneatis. *Stamina* 8. Fructus hirsutissimus,

et praeterea muricatus: muricibus apice uncinalis. Immaturus fructus globosus maturitate oblongus evadit.

218.

40. *Euphorbia spongiosa.*

Char. spec. E. umbella duplicato-dichotoma; involucro universali tetraphyllo: foliolis lanceolatis; involucellis primis cordatis, secundis lanceolatis; fructibus laevibus; foliis caulinis angusto-lanceolatis, supra canaliculatis, rameis planis, lanceolatis. ♄. v. v.

Euphorbia spongiosa. *Dr. Ledebour in lit.*

Patria: Habitat . . . .

Colitur in Frigidario.

219.

41. *Euphorbia cespitosa.*

Char. spec. E. umbella submultifida, trifida; involucellis deltoidibus; caule foliosissimo; foliis linearibus; petalis lunatis; capsula ad angulos scabra. ♃. v. v.

Euphorbia cespitosa. *Tenore syn. nov. plant. p.* 49. *nr.* 75.

Patria: Habitat in rupibus insulae Capriae.

Colitur in Caldario.

Descriptio. Folia glauca, integerrima, quod etiam de involucris valet; *involucella* ex hoc colore leviter flavicant. *Folia* conferta, longa, linearia. *Rami* prius quam caulis florent. *Um-*

bella 5-8-radiata, radio quovis triphyllo. Praeterum bellam terminalem ramorum ex axillis superioribus pedunculi solitarii triflori.

220.

42. *Croton tomentosum.*

Char. spec. C. foliis ex cordata basi orbiculato-ovatis, utrinque ex stellata pube canescentibus, margine aureo-stellatis; spicis masculis terminalibus, floribus femininis lateralibus, tetragynis. ♄. v. v.

Croton tomentosum. *Hort. Paris.*

Patria: Habitat in Brasilia.

Colitur in Caldario.

Descrip. Frutex elegans. Forma foliorum fere ut in *Rhoe Cotino*, sed minor et pube vestita. Rami et petioli teretes, tomento aureo, stellato. *Folia* (praesertim juniora) ex cordata basi orbicularia, oblongantur tamen per aetatem nonnihil, fiuntque bipollicaris longitudinis, latitudinis pollicaris, utraque pagina ex tomento stellato canu, margine aurea; margo hic (ex hoc tomento) dentatus videtur in folio juniori, quod vero in senioribus non ultra obtinet. *Flores* terminales, quorum masculi spicati, pentandri, feminei in basi ejusdem pedunculi sparsi, tetragyni.

221.

43. *Rosa pentaphylla.*

Char. spec. R. ovariis ovatis, glabris; pedunculis hispidis; foliis utrinque glabris; foliolis

quinis, ovatis, acutis; petiolo cauleque aculeatis, petalis cuneato-obcordatis. ♄. v. v.

Patria: Habitat forte in China boreali.

Colitur in Frigidario.

Critica. Nomine *Rosae sinicae* horto illata est; sed neque cum Linnaei *Rosa sinica*, neque cum Jacquini *Rosa chinensi* convenit, quae utraque Stemma simpliciflorum *Rosa semperflorentis* est.

Descrip. Frutex est parvus, circiter quadripedalis, debilis, cortice diu viridem colorem retinente. *Folia* constanter ex foliolis quinque componuntur, sat parvis, ovatis, acutis, argute serratis, pagina utraque plane depilibus; sed petiolis vasis subtilibus, teretibus, resiniferis, et subtus aculeis tenuibus, recurvis satis dense obteguntur, et aculei quidem ad aliquod spatium in nervum medium folioli terminalis excurrunt. *Flores* terminales, solitarii; pedunculi vasis resiniferis obsessi; ovarium ovatum, glaberrimum. *Calycis* laciniae vix pinnatifidae, extus glabrae, intus margineque pubescentes. *Corolla* alba, magnitudine fere corollae *Rosae sylvestris;* petala obcordata, basi fere cuneata, crena vero apicis profunda.

222.

44. *Potentilla geminiflora.*

Char. spec. P. caule prostrato, multifloro; foliis ternatis: foliolis oblongis, grosse serratis, basi cuneatis; pedunculis axillaribus geminis:

altero unifloro, altero bracteato, subbifloro; petalis calicem vix aequantibus. ♃. v. v.

Patria: Habitat forte in Volhynia.

Colitur sub dio.

Descriptio. *Caules* numerosi ex una radice, omnes procumbentes, dichotomi, pilosi, 1-1½ pedales, parte soli adversa erubescentes. *Folia* ternata, petiolata, summa sessilia; foliola oblonga, grosse serrata, basi cuneata, parce pilosa: intermedio reliquis majori. *Pedunculi* axillares, gemini: alter simplex, alter bractea auctus, plerumque biflorus, et tum flos alter serior, saepe abortiens; bractea supremis foliis similis, sed amplexicaulis nec sessilis tantum, aucta practerea stipulis 2 — 4, in quae saepe foliolum tertium quasi abit. *Petala* obovata, integerrima, flava, calyce tantillo minora.

Semina nomine Potentillae hirsutae accepi; sed non est mea planta *Potentilla hirsuta Michauxii*, cui caules simplices, erecti, et foliola orbiculata; nec *P. hirsuta Hornemanni*, cui caules erecti, subuniflori, foliola hirsutissima, petala reniformia.

223.

45. *Geum heterophyllum.*

Char. spec. G. floribus erectis; petalis calyce brevioribus; seminibus aristisque glabris; foliis interrupte pinnatis (pinnis quinis: terminali tripartita, trifida), incisis: summis ternatis: pinnis latioribus: terminali triloba. ♃. v. v.

Geum heterophyllum. *D. Fischer in litt.*

Patria: Habitat in Davuria.

Colitur sub dio.

Descriptio, Flores erecti; petala calyce breviora, pallide flava, semina cum suis aristis glabra. *Folia* interrupte pinnata: foliola inferiora minora; in foliis inferioribus foliolum terminale maximum tripartitum: lacinia intermedia trifida, incisa; laciniae laterales trifidae, varie incisae; foliola inter pinnas majores intermedia minima, simplicia, dentata; duo ejusmodi foliola etiam sub ultimo pinnarum pari; prout folia altiorem in caule locum occupant, pinnae latiores et insigniores evadunt, numero non imminuto, summa denique nonnisi ternata: foliolis tamen multo majoribus: intermedio ternato.

224.

46. *Geum alpinum.*

Char. spec. G. floribus erectis; petalis calyce brevioribus; seminibus hirsutis: aristis supra medium tortis, post flexum pilosis; caule stricto.

♃. v. v.

Geum alpinum *Schweigger in litt.*

Patria: Habitat in nescio quibus alpibus.

Colitur sub dio.

Descriptio. Flores forma coloreque ut in *Geo rivali*, sed erecti, et planta in sicco eandem obtinet altitudinem ac illa in humido. *Corolla* calyce brevior. *Caulis* erectus, angulatus: angulis quatuor solidis, pubeque deflexa asperis; folia interrupte pinnata, ut in genere, sed utrinque de-

pauperato-pilosa; *folia* radicalia longiuscule petiolata; in foliis caulinis foliolorum cum pinnis alternantium infima stipularum vices agunt. Hirsuties seminum uti pili aristarum alba.

225.

47. *Papaver davuricum.*

Char. spec. P. capsulis glabris, ovatis; caule ramoso, piloso, dense folioso; foliis glaucis, subbipinnatis: laciniis integerrimis, aristatis. ⊙. v. v.

Papaver davuricum. *Dr. Fischer in litt.*

Patria: Habitat in Davuria.

Colitur sub dio.

Descriptio. *Caulis* pallide viridis, pilosus, ramosus, dense foliosus. *Folia* glauca: infima et media pinnata: pinnis profunde pinnatifidis, praesertim inferioribus: laciniis ovatis, apice aristatis; suprema inordinate pinnatifida.

226.

48. *Papaver corsicum.*

Char. spec. P. capsulis ovatis, glabris; caule multifloro, setoso; foliis glaucis, pinnatis: pinnis laciniatis. ♃. v. v.

Papaver corsicum. *Thouin in litt.*

Patria: Habitat iu Corsisa.

Colitur in Frigidario.

227.

49. *Aquilegia alpina.*

Char. spec. A. petalorum calcaribus incurvis

cauleque glabris; calycibus obtusiusculis; foliis biternatis; glaucescentibus. ♃. v. s.

Aquilegia montana, flore parvo, thalictri folio. *C. B. P. p.* 75.

Observ. Haec certe vera *A. alpina* est, ac nomen ex Bauhino adductum plane ad Aquilegiam alpinam pertinet. *Bauhinus* certe hanc parvifloram speciem Thalictri (aquilegifolii) folio esse dicit, altera vero, quam *Aquilegiam montanam magno flore* dicit, ita describit, ut facili negotio de *A. viscosa* loquutum intelligas.

A. alpinae flos caeruleus est, nec major quam Ranunculi platanifolii; foliola calycina obovata sunt, tantillo petalis breviora, aeque (qua quidem parte plana sunt) obovatis. *Caulis* pauciflorus; saepe flos unicus, vix ultra tres.

228.

50. *Aquilegia viscosa.*

Char spec. A. calcaribus incurvis, pubescentibus, foliis radicalibus biternatis: foliolis oblongo-ovatis, integerrimis. ♃. v. v.

Aquilegia viscosa. *Gouan obs. p.* 38. *tab.* 19. *fig.* 1. demto Synonymo Bauhini.

Patria: Habitat prope Montem Pessulanum et Genuam.

Colitur sub dio.

Observ. Plus duplo minor A. vulgari, et pilis tenellis resiniferis obsita, quae quidem resina, nisi sub sole calente, non plorat. Distinguitur a congeneribus, praecipue ab A. vulgari, etiam pau-

citate florum, qui raro quaternarium numerum excedunt, saepe nonnisi unicus adest.

Quod si in horto Göttingensi semina a Gouano missa *A. vulgarem* dederunt, id errore hortulani Monspeliensis contigit, qui specierum semina commutavit.

229.

51. *Thalictrum laserpitifolium.*

Char. spec. Th. foliis inferioribus tripinnatis, superioribus bipinnatis: pinnis oblongis, margine reflexo, subtus pilosis. ♃. v. v.

Thalictrum laserpitifolium. *Hornem. supplem. p.* 62.

Patria: Habitat . . . .

Colebatur sub dio.

230.

52. *Pulsatilla intermedia.*

Char. spec. P. pedunculo involucrato; perigonii foliolis rectis, obtusis, emarginatis; foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis; laciniis linearibus. ♃. v. v.

Pulsatilla intermedia. *D. Fischer in litt.*

Patria: Habitat in Siberia.

Colitur sub dio.

Observ. Perigonia corollina intus prope nigra sunt, extus vero undique villo adpresso, sericeo cana.

Descriptiones aliquot plantarum novarum vel minus cognitarum ex horto Imperiali Paulowskiensi. Auctore J. A. Weinmann.

232.

1. *Gratiola portulacacea Mihi.*

Char. spec. G. Didynama; caule repente; foliis oppositis, obovatis, subtus foveolatis; pedunculis axillaribus unifloris, foliis multo longioribus; capsula subcompressa.

Descriptio. Tota glaberrima. *Caulis* bipedalis et ultra, late repens, ramosus, subteres. *Folia* opposita, remota, obovata, subpetiolata, carnosula, integerrima, 5—6 lin. longa, 2—3 lin. lata, subtus foveolata vel sub lente punctata. *Pedunculi* ½ — 1½ et ultra longi axillares, compressiusculi, nudi, uniflori. *Calyx* compressus, quinquefidus; laciniis 3 exterioribus ovatis, obtusis: duobus interioribus oppositis linearibus acutis. *Corolla* tubulosa, pallide-violacea calyce longior; limbus quinquepartitus: laciniis aequalibus obtusissimis, patulis. *Stamina* 4, corollae fauce inserta, patentia; antherae nigrescentes: polline subgriseo. *Capsula* bilocularis, bivalvis, primo compressa, dein subrotundo-ovata, obtusa, calyce paullulum minor. *Dissepimentum* longitudine et latitudine valvarum, subcoriaceum. *Receptaculum* seminum columnare.

Patria: In aquosis Brasiliae. Floret (in Calidariis nostris) mensibus Julii et Augusti. ♃.

233.

2. *Justicia leucantha Mihi.*

Roem. et Schult. I. pag. 159.

c. Calyce simplici, corollis ringentibus.

Monantherae.

Char. spec. Spicis axillaribus foliolosis; floribus verticillatim positis; bracteis calyce brevioribus, foliis ovato-ellipticis in petiolum desinentibus; caule 4-gono, diffuso, radicante.

Descriptio. *Caulis* 2—3 pedalis, articulatus, inferne pilis parvis, rigidiusculis, adpressis obsessus, obtusae 4-gonus; superne glaber, acute 4-gonus, alternatim canaliculatus, sub simplex. *Folia* opposita, ovato-elliptica, in petiolum longum desinentia, scabriuscula, venosa: venis parallelis; margine undulato-crenulata, 7—8 unc. longa, 2—2½ unc. lata, dependentia, concava. *Spicae* axillares, oppositae, foliosae, 1—2 unciales. *Flores* in spicis verticillatim positi, sessiles: verticillis dimidiatis, 3-floris. Folia ad basin verticillorum cauli similia, parva, sessilia. *Bracteae* lanceolatae, parvae, calyce breviores. *Calyx* 5 partitus, hispidulus: laciniis lineari-lanceolatis, acutis. *Corolla* ringens, extus pilosa, intus glabra, sordide-alba, parva: labium superius bilobum, inferius trilobum. *Stamina* didynama, duo majora fertilia, duo breviora sterilia et ad basin membranula coadunata, pilosa. *Stylus* glaber. *Capsulam* maturam nondum vidi.

Patria: In Brasilia. Floret (in Caldariis nostris) autumno.

234.

3. *Cissus pruinata Mihi.*

Char. spec. C. Foliis quinatis, foliolis petiolulatis, lanceolatis vel ovato-ellipticis, serratis, glaberrimis, corymbis dichotomis, caule scandente, tereti, pruinato.

Descriptio. Caulis sublignosus, teres, altissime scandens, ramosissimus, leviter pruinatus: ramis junioribus pilosis. *Folia* alterna, quinata, longe petiolata: foliola foliorum inferiorum longe lanceolata, 4 — 8 unc. longa, 1 — 1½ unc. lata, grosse serrata: serraturis distantibus; superiorum ovato-elliptica, omnia acuminata, basi inaequalia. *Petioli* communes teretes, 3 — 4 unc. longi, pilosi. Stipulae ovatae, obtusae, ciliatae, fuscae, minutae, marcescentes. *Corymbus* pedunculatus, parvus, cum cirrhis oppositifolius, pilosus. *Cirrhi* longi, bifidi, pilosi. *Flores* parvi, viridi-flavescentes. *Calyx* minutus, fusco-marginatus, hinc inde obtuse-dentatus. *Corolla* 4 petala: petalis excavatis, subcucullatis, deciduis. *Nectarium* margine germen cingens. Stamina 4 ad basin nectarii inserta. *Stylus* brevis, obtusus. *Baccae* e Brasilia missae (plantae nostrae b. maturas nondum perfecerunt) semper erant 4 spermae, magnitudine pisi minoris, nigrae.

Patria: In dumetis et sylvis Brasiliae. Floret (in Calidariis nostris) Augusto. ♄.

235.

4. *Adenanthera Pavonia Linn.?*

Char. spec. Foliis bipinnatis, 4-5 jugis; foliolis ovato-rotundatis, petiolulatis, integerrimis; racemis axillaribus, longissimis.

Descriptio. *Caulis* frutitosus, 3-5 pedalis et ultra, inferne rimulosus, superne viridis, glaber. *Folia* alterna abrupte bipinnata, glaberrima: paribus pinnarum 4-5. *Pinnae* oppositae, alternaeque distantes. *Pinnulae* alternae, breviter petiolatae, ovato rotundatae, obtussimae, basi inaequales. *Racemi* axillares simplices, 8-10 unc. *Flores* pedicellati, sparsi, inferiores remoti, superiores conferti. *Pedicelli* lineam et ultra longi, uniflori. *Calyx* minutus subsinuatus. *Corolla* 4-5 petala, parva, subaurea: petalis linearibus, acutiusculis. *Stamina* 10, inaequalia. *Antherae* parvae, flavae. *Glandulae* ad latera antherarum, pedicellatae, glabrae, sub lente fenestratae. *Legumina* nondum vidi.

Patria: Sub nomine indicato semina e Brasilia missa; sed dubius adhuc sum, an sit vera planta Linnaei? Floret (in Calidariis nostris) mensibus Iulii et Augusti.

236.

5. *Hyptis lamiifolia Mihi.*

Char. spec. Caule ramoso, 4-gono, piloso, radicante; foliis subcordato-ovatis, acuminatis, crenato-dentatis, piloso-scabris, petiolatis, su-

btus albicantibus; capitulis axillaribus, pedunculatis intermedio brevioribus, involucris setaceis capitulum aequantibus.

Descriptio. *Caulis* 4-6 pedalis, decumbens, radicans, acute 4-gonus, ad angulos praecipue pilosus, in planitiebus sub lente 2-3 striatus. *Folia* subcordato-ovata, acuminata, supra viridia, subtus albicantia et praecipue ad nervos piloso-scabra 1-2 unc. longa, $\frac{3}{4}$-1 unc. lata, in petiolum desinentia. *Petiolus* 4-5 lin. longus. *Internodia* 2-5 unc. longa, aequalia. *Pedunculi* axillares, oppositi, 1-$2\frac{1}{2}$ unc., teretes. *Capituli* magnitudine pisi majoris *Involucra* lineari-setacea, pilis crebris ad marginem obsessa. *Calyx* brevis, tubulosus, quinquedentatus: dentibus acuminatis, aequalibus. *Corolla* parva, albida: maculis minutissimis violaceis vel ferruginascentibus picta. *Faux* inflata. *Labium* superius bilobum inferius trilobum: lobo intermedio saccato extus piloso; marginibus omnibus reflexis.

Patria: In Brasilia. Floret (in Calidariis nostris) Octobri, Novembri. ♃.

Observ. Affinis mihi videtur Hypti polyanthae Humb. Bonb. et Kunth. Synop. plant. aequinoct. II. pag. 93.

237.

6. *Manulea crystallina Mihi.*

Char. spec. Foliis oppositis petiolatis, ovatis, obtusis, profunde et duplicato-serratis: caule 4-gono; pedunculis axillaribus unifloris.

Descriptio. *Radix* annua. *Caulis* exacte 4-gonus et cum omnibus plantae partibus (exceptis floribus) papulosus, ramosus, pedalis et ultra, strictus, laete viridis. *Folia* inferiora opposita, in petiolum brevem desinentia, summa alterna, sessilia, grosse et duplicato-serrata: serraturis obtusis; supra sordide-viridia, infra dilutiora, 1 unc. longa, 6-8 lin. lata. *Petioli* 4-6 lin. longi, supra sulcati. *Pedunculi* axillares uniflori, 1-2 lin. longi, teretes. *Calyx* quinquefidus: laciniis linearibus, apice patulis. *Corolla* monopetala, tubulosa, dilute-violacea: lineolis atro-violaceis ad faucem ornata. *Tubus* leviter curvatus, sub limbo incrassatus, 5-6 lin. longus. *Limbus* quinquepartitus: laciniis inaequalibus, obtusis. *Faux* flava. *Stamina* 4, didynama. *Stylus* longitudine tubi corollae, persistens. Capsula ovata, subcompressa, obtusa, praecipue papulosa, bilocularis, polysperma.

Patria: Ad Cap. bon. spei. Floret Julio et Augusto. ⊙.

238.

7. *Cleome arborea Mihi.*

Char. spec. Floribus hexandris, foliis septenatis; caule arboreo, aculeato.

Descriptio. *Caulis* 6-7 pedalis, erectus apice inclinatus, simplicissimus, inferne lignosus, aculeatus, glaber, superne pilosus, scabriusculus, inermis. *Aculei* post foliorum delapsum ad eorum latera egredientes, brevissimi. *Folia* alterna, petiolata, septenata: foliolis ellipticis, integerrimis,

pilosis, ciliatis, nervosis, inaequalibus. *Petioli* teretes, pilosi, rubicundi: inferiores 6-8 unc. superiores sensim sensimque breviores. *Racemus* terminalis, semipedalis et ultra, apice subnutans. *Pedicelli* inferiores subdistantes, superiores conferti, $\frac{1}{2}$-$\frac{3}{4}$ unc. longi, declinati. *Corolla* 4-petala: petalis adscendentibus, oblongis, obtusis, uncialibus, saepe tortis vel margine revolutis, atro-violaceis. *Stamina* 6, colore petalorum, 3 unc., declinata, in receptaculo fructificationis opposita. *Antherae* oblongae, flavescentes. *Germen* oblongum, stipitatum, longitudine staminum. *Stigma* sessile, globosum.

Patria: In Brasilia. Floret (in Calidariis nostris) autumno. ♄.

239.

8. *Passiflora verruculosa Mihi.*

Char. spec. Foliis leviter cordatis, trilobis, pubescenti-mollibus: lobis lateralibus, subparallelis, medio productiore: petiolis biglandulosis, pedunculis unifloris: peponibus verruculosis.

Descriptio. Tota (exceptis floribus) pubescenti-mollis. *Caulis* 15-20 pedalis, angulatus, ramosus. *Folia* subcordata, triloba: sinubus obtusis, 2-3 unc. longa et lata, alterna, petiolata, integerrima. *Stipulae* minimae, filiformes, evanescentes. *Flores* ad latera petiolorum, solitarii, pedunculati. *Pedunculi* $\frac{1}{2}$-$\frac{3}{4}$ unc. longi, medio stipulati. *Cirrhi* in axillis foliorum, simplices. *Ca-*

lyx 5-phyllus: phyllis canaliculatis, extus viridibus, intus pallide-incarnatis, marginatis, $1\frac{1}{2}$ unc. longi, 2 lin. et ultra lati. *Corolla* 5-petala: petalis pallide incarnatis, fere linearibus, $\frac{3}{4}$ unc. longis. *Paraphyses* aureo flavescentes, 4-5 lin. longi. *Stamina* 5-arcuato-patentia. *Styli* 3, reflexi. *Pepo* pedicellata: pedicello $1\frac{1}{4}$ longo, verruculosa, magnitudine pomi minoris.

Patria: Inter semina e Nova Hollandia missa excrevit haecce pulchra species. Floret (in Tepidariis nostris) mensibus Julii et Augusti. ♄.

240.

9. *Clitoria gladiata Mihi.*

Char. spec. Foliis ternatis: foliolis ovatis ellipticisve, glabris, pedunculis axillaribus uni-biflorisque, calyce 5-phyllo, leguminibus gladiatis.

Obs. *Caulis* volubilis, 6—8 pedalis, teres: pilis adpressis obsessus. *Folia* petiolata, alterna, ternata: foliola petiolulata, ovalia vel elliptica, $1\frac{1}{2}$—3 unc. longa, $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ unc. et ultra lata, integerrima. *Petiolus* communis $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ unc. longus, subcanaliculatus. *Stipulae* caulium lanceolatae, striatae, marcescentes; foliorum subulatae, minutae. *Flores* solitarii vel geminati, axillares, pedunculati, magni, pallide-violacei. *Calyx* 5-phyllus: phyllis lineari-lanceolatis, acuminatis, 4—5 lin. longis. *Legumen* lineare, rectum, 3—4 unc. et ultra longum, 2 lin. latum: acumine longo, rigido.

Patria: In Brasilia. Floret (in Calidariis nostris) aestate. ♄.

24.

10. *Baccharis glutinosa Pers.*
Enchirid. bot. II. pag. 425.

Char. spec. Foliis lineari-lanceolatis undique attenuatis, acute serratis, subtus-foveolatis; caule suffruticoso.

Descriptio. *Radix* subrepens. *Caulis* ut omnes plantae partes leviter glutinosus, 6-9 pedalis flaccidus, ramosissimus, teres, subflexuosus. *Folia* lineari-lanceolata, in petiolum desinentia, apicem versus acute serrata, ad basin integerrima, dependentia, sparsa, 2—4 unc. longa, 1—4 lin. lata. *Rami* alterni cauli similes, virgati. *Corymbi* terminales: pedicellis propriis bi-tri-vel quadriflori. *Flores* dioici (masculos nondum vidi); foeminei: calyx globosus, subimbricatus: squamis albo-marginatis, diaphanis, apice (sub lente) elegantissime ciliatis, 1 lin. et ultra longis: linea dorsali viridi. *Receptaculum* subconicum, foveolatum. *Pappus* simplex, sub lente hispidulus, 2 lin. longus.

Patria: In collibus siccioribus Regni Chilensis.

Floret (in Tepidariis nostris) autumno. ♄.

Rubi nonnulli Styriae finitimaeque Carinthiae.
Auctore Dr. L. Ch. de Vest.

Nota. Non omnes flagella edunt; caules florentes aut declinati apice radicantes, et secundum longitudinem edunt ramulos floriferos, aut erecti superne florentes panicula terminali.

Inflorescentia in plerisque fere eadem, ramositate et florum numero dumtaxat varians, scilicet panicula rachi indivisa axica, pedunculis superioribus unifloris bracteatis fastigiatis, inferioribus longioribus 2-6 floris corymbosis ex axilla folii floralis simplicis.

Calycis directio non semper eadem; sub anthesi patens est: peracta foecundatione in omnibus reflectitur; et fructu maturo aut reflexus perstat, aut erigitur hunc involutum.

Folia juniora in omnibus plicata sunt; serraturae in plerisque filo glanduloso terminantur. Folia extima frequenter cordata. Distinguuntur *Rubi.*

a) Caule fruticoso vel herbaceo — tereti et subangulato vel sulcato.

b) Caule florifero elongato laxo declinato ad terram redeunte et denuo radicante, vel tantum nutante, vel erecto.

c) Foliis (praeter ternata superiora et immixta) *digitato-quinatis*, vel *sessili-quinatis*, vel etiam *pinnatis;* in illis foliola 3 antica longius, 2 postica retroversa brevius pedicellata sunt, in *sessili-quinatis* foliola lateralia utrinque 2 subsessilia vel sessilia, basibus in utraque forma confluentibus.

d) Foliis *subtus virentibus* vel *leucodermis;* in illis, etsi villositas adfuerit canescens, epidermis virens folii aut translucet, aut post decalvationem in conspectum venit, — in *leucodermis* vero epidermis folii ipsa albet, et plerum-

que etiam tomento albido tegitur, quo imminuto aut evanescente albedo folii perstat.

e) Foliis *papyraceis* (tenuioris fabricae ut chartae scriptoriae vulgaris) vel *chartaceis* i. e. firmioribus, crassiusculis ut charta pergamena.

f) Aculeis *lignosis validis longioribus* in trunco ramisque annotinis, vel *acicularibus*, *brevibusve*.

g) Calycibus extus totis albido-tomentosis, vel tenue pubescentibus margine tantum tomentosis.

h) Calycibus fructus reflexis, vel erectis fructum involventibus.

1) Rubi foliis leucodermis.

2) Rubi foliis subtus virentibus (saepe villosis) aculeis validis.

3) Rubi foliis subtus virentibus (saepe villosis) aculeis acicularibus brevibusve.

1. *Rubi foliis subtus leucodermis.*

(Plerumque pube vel tomento albido obductis interdum calvatis.)

242.

1. *Rubus bifrons.*

Char. spec. Caulibus teretibus subangulatisve, sterili longissimo procumbente, florifero ascendente nutante, aculeis validis rectis, foliis digitato-quinatis ternatisque, foliolis subchartaceis leucodermis subrotundis oblongisve, caulium subtus tenue villosis conferte serratis, panicula aculeata patente, petalis ellipticis sessilibus.

Descriptio. *Caules* fere semper teretes interdum per intervalla angulati, florentes ramosi ascendentes paniculis terminalibus. *Flagella* praelonga decumbunt, nec ascendunt reditura. *Aculei* recti et recte porrecti lignosi. *Folia* in utroque caule ternata mixta digitato-quinatis, in caulibus confertius et argutius serrata tenuiusque pubescentia — in flagellis interdum tomentosa et rarius calvescentia, quia herbis tecti latent, et interdum durioris fabricae. *Panicula* rigens, erecta, patens, immo pedicellis demum divaricatis, cum calycibus tomentosa; illa vero aculeata est, calyces inermes. *Petala* subsessilia, elliptica, saepe rosea, calycem et stamina superant.

Novella foliola subtus virent et subhirsuta sunt, sed adolescendo albescunt; adultiora soli exposita facile calvescunt.

Critica. Hic pro R. *fructicoso* L. habitus fuit, cui ut etiam R. *rhamnifolio* et R. *cordifolio Nees et Weihe* affinis est, sed ab his omnibus primo intuitu differt: caule tereti, foliis multis ternatis, a R. *fruticoso praeterea*, foliolis latioribus, confertim et argutissime serratis, superioribus luci expositis tenue villosis tandem calvis, caulibus villosis, aculeis paniculae numerosis subulatis rectis etc. — a R. *rhamnifolio N. et W.* petalis oblongis stamina et calycem excedentibus, calyce penitus reflexo, inermi etc.; caeterum huic proximus esse videtur.

Petioli fere semper integri, trigoni, absque sulca, et aculeis aduncis armati ut in petiolis fieri solet.

Patria: Habitat frequens ad margines sylvarum.

243.

2. *Rubus velutinus.*

Char. spec. Caulibus angulatis sulcatis, sterilibus subnullis, aculeis longis validis rectiusculis, foliis plerisque ternatis, foliolis subchartaceis grossius dentatis, subtus incano-villosis subtomentosis ovato-oblongis, lateralibus sessilibus, petalorum ungue calycem subaequante.

Descriptio. E magnis et fortibus est, et pro R. *fruticoso* habui. *Caules* adulti crassi sulcato-angulati, interdum ad terram redeuntes nec ideo steriles, aculeis magnis rectiusculis armati. *Foliola* non minutim serrata, potius grosse acute dentata, duplicato-serrata, oblonga, acuminata, subtus villo incano tomentosa, superiora et praecipue floralia subtus albicantia. *Paniculae* compositae parce aculeatae. *Calyx* tomentosus, inermis, in fructu reflexus. *Petala* ovata, ungue sat longo, quia fere lacinias calycinas aequat.

Hic *Rubus* unguibus petalorum longis calycinas lacinias fere aequantibus ab omnibus differt, quibuscum posset confundi; in plerisque enim *Rubis* petala subsessilia sunt aut breviter unguiculata.

Observ. Cl. *Trattinnick* hunc *Rubum* pro var. *R. obtusifolii* Willd. declarat in litt. idemque de R. *hypoleuco* et *holosericeo* asserit, sed ille a posterioribus differt: aculeis validis, caule forti angulato, petalis unguiculatis &c.

244.

3. *Rubus hypoleucos.*

Char. spec. Caulibus teretibus, sterili funiculiformi decumbente, florifero erecto flexuoso subsulcato, aculeis brevibus acicularibusque, foliis sessili-quinatis ternatisque, foliolis ovato-oblongis duplicato-dentatis leucodermis, caulinis tenue et appresso-villosis, flagellaribus tomentosis reticulato-nervosis, panicula terminali thyrsoidea aculeata, calycibus subinermibus, fructiferis reflexis.

Descriptio. *Flagella* teretia, procumbentia, longa, foliis quinatis et ternatis, subtus densius tomentosis et reticulato-nervosis: foliola substantia firmiori, chartacea, oblongo-lanceolata, remotius et grosse dentata fere acuminata, lateralibus subsessilibus. *Caulis* florens ad pedes 3-4 erigitur simplex, foliosus, saepe sulcatus, panicula terminali densa. *Folia* ut in flagellis quinata et ternata sed subtus tenui villo albentes vix reticulati. Non raro foliolum terminale bipartitum ut quinatum mentiatur folium. *Panicula* densa, aculeata, terminalis. Petala obovato-subrotunda e minoribus, subsessilia. *Calyces* tomentosi inermes e minoribus. — *Foliola* supra tenui et molli villo pubescunt, sed decalvantur ut glabra appareant attactu tamen semper mollia. —

In hoc *Rubo* petioli canaliculati esse solent.

Critica. Pro *Rubo tomentoso Borkh.* habetur, cui omnino similis et affinis, sed differre videtur: flagellis teretibus procumbentibus, nec ascen-

dentibus et recurvatis, caule florifero (nec ramo) humili, erecto, simplici, foliis in utroque caule ternatis quinatisque, supra glabris. Tomentum incanum nec album.

Patria: Habitat in collibus aridis, ad margines vinearum.

Obs. Nunquam vidi hunc *Rubum* intrare dumeta vel sylvas, sed fugiens umbram calidas declives videtur eligere, nec cum alio socius invenitur nisi cum R. *holosericeo*, qui in pluribus cum eo convenit. *Cl. Trattinnick* ambos pro varietatibus R. *obtusifolii Willd.* habet.

2. *Foliis subtus virentibus (saltem post decalvationem) aculeis caulium ramorumque adultorum lignosis, validis, elongatis.*

245.

4. *Rubus ferox.*

Char. spec. Caule forti declinato subangulato interdum sulcato aculeatissimo, aculeis validis plerumque falcatis, foliis quinato-digitatis ternatisque papyraceis, foliolis ovatis subcordatisque acuminatis, subtus hirtis, junioribus saepe cano-villosis, petalis oblongo-lanceolatis distantibus, calycibus cano-tomentosis, hispidis, fructiferis reflexis.

Descriptio. E majoribus est, et aculeis magnis copiosissimis horret. *Stolones* procumbunt, et caulis florens erigitur ad pedes aliquot, et dein ad terram recurvatur secundum longitudinem ra-

mulos florentes erectos proferens. *Folia* tenuioris substantiae juniora praesertim si terrae incumbunt, subtus cano-villosa ternata quinatis mixta. *Foliola* ovata, subcordata, acuminata, tandem subtus virescenti-hirta, supra plerumque obsure viridia et opaca, ut in *Salice Caprea*. *Petioli* trigoni fere integri, obsolete canaliculati, copiose aculeati. *Panicula* in ramulis erecti. *Calyces* cano-tomentosi setis aspersi breviores petalis sub anthesi oblongo-lanceolatis ab invicem distantibus, sub fructu reflexis.

Observ. Figura caulis in hoc variat, plerumque angulatus est, saepe sulcato-angulatus, rarius *per intervalla* teretiusculus et talis caulis saepius aculeis rectis armatur, et folia magis oblonga, subtus cano-hirta, supra dilute virentia sunt. — — *Rami* floriferi in hoc cum rachi villis canescunt, et rarius sulca decurrente notantur.

Cum nullo alio mihi noto convenit.

Patria: Habitat frequens in Styria; ubique circa Graez.

246.

5. *Rubus sulcatus.*

Char. spec. Caule forti erecto declinato ramisque angulato-sulcatis glabris, aculeis validis remotis, foliis quinatis ternatisque, foliolis ovato-oblongis acuminatis, subtus pubescentibus demum calvis, racemis subcorymbosis, petalis oblongis distantibus, calycibus subcalvatis, fructiferis reflexis.

Descriptio. E fortioribus et majoribus est, insignis caule profunde sulcato angulato subere-

cto demum decurvo vel etiam nutante, vix vel rarius radicante. Saepius caret stolonibus; in quibus vero folia quinata frequentior sunt. *Aculei* fortes, peracuti, dispersi, distantes. *Foliola* ovato-oblonga, acuminata, simpliciter serrata: serraturis saepius rubentibus, subtus pubescentia serius vero glabrata; in ramulis florentibus fere semper ternata et tenuia. *Pedunculi* fere constanter uniflori, ut ergo racemi oriuntur, tenue villosi fere inermes. *Flores* magni calycibus inermibus et leviter pubescentibus. *Petala* oblonga.

Obsrv. Hic *Rubus* ab omnibus reliquis, (quibus folia subtus virentia sunt) differt sulcis profundis per caulem et ramos decurrentibus, inflorescentia fere constanter racemosa, et serraturis frequenter rubentibus praesertim in foliis quinatis flagellorum. In foliis adultioribus nihil *plicati* observatur, novella foliolia in hoc ut in reliquis plicata sunt.

Critica: Cum A. *plicato* N. et W. convenit inflorescentia, sed differt caule, cujus latera non plana sed sulcata sunt, ramis sulcatis, aculeis longis validis, foliis non plicatis, petalis oblongis, statura majori, foliolis extimis rarius et non nisi in infimis, cordatis &c.

Patria: Habitat ad sepes cum R. *feroci.*

247.

Rubus nutans.

Char. spec. Flagellis nullis, caule tereti glabro erecto nutante, aculeis raris subulatis acicularibus lignosisque, foliis papyraceis plerisque ter-

natis: foliolis ovato-oblongis breve acuminatis glabriusculis, floribus subracemosis, calycibus tenue pubescentibus, fructiferis reflexis.

R. *hybridus Vest.* Styermärk'sche Zeitschrift I. 3 Heft. S. 162. sed nomen mutandum esse censebam, quum jam a cl. *Villarsio* fuit usitatum.

Descript. Singularis *Rubus* hic est *caule* tereti simplici parce aculeato, ad pedes 3-5 erecto et dein horizontaliter quasi fluitante. Haec pars caulis sursum edit ramulos racemosos. *Foliola* tenuia, subtus virentia Juniora pubescentia, lateralia etiam in quinatis sessilia. *Stolones* hucusque non vidi, sed terra reptare videtur gregaria scilicet crescens. Inflorescentia et floribus convenit cum R. *sulcato,* nam pedunculi inferiores axillares saepius uniflori sunt, calyce fere decalvati, petala oblonga magna manifeste unguiculata; sed differt foliolis majoribus, caule simplici, tereti, aculeis paucis, rectis, subulatis.

Critica. R. *fastigiato N. et W.* quodammodo affinis videtur, sed facile distinguitur: racemis erectis, caule, foliis plerisque ternatis: foliolis breviter acuminatis, petalis oblongis, inflorescentia &c.

R. *corylifolio* omnino affinis est, praecipue foliis et caule terete, sed habitu suo peculiari illico dignoscitur ut etiam aliis notis.

Intermedius est inter R. *ferocem, sulcatum* et *corylifolium.* Var. R. *corylifolii* ex mente cl. *Trattinnick.*

Patria: Habitat in humidis umbrosis Graecii.

3. *Foliis subtus (etiam sub villo) virentibus, aculeis acicularibus.*

248.

7. *Rubus holosericeus.*

Char. spec. Caule tereti decumbente, ramis florentibus erectis, aculeis brevibus acicularibusque, foliis sessili-quinatis ternatisque, ramulorum inferioribus saepe pinnatis, superioribus et flagellorum chartaceis: foliolis elliptico-rhombeis subtus villosis vel holosericeis demum reticulato-nervosis griseis vel incanis, petalis sessilibus subrotundis, calyce hispido fructifero erecto.

Descriptio. *Caules* teretes ut in plerisque *Rubis* nostrae terrae uti flagellum decumbentes, sed ramos floriferos erectos promentes. *Folia* villis griseis immo albis subtus tecta non decalvanda sed serio holosericea, sed folii epidermis ipsa viret. *Panicula* ut in R. *corylifolio* quocum calyce convenit; immo junior R. *corylifolius* aculeos aciculares habet, sed R. *holosericeus* facile dignoscitur tomento foliorum perstante, substantia eorum firmiori, petalis subrotundis, ungue fere destitutis, foliis immixtis pinnatis. Notae indicatae sufficiunt illum a R. *hypoleuco* distinguendo, quocum crescit. Var. R. *obtusifolii* Willd. ex mente cl. *Trattinnick.* Caules non crassi, aculei adulti conici, breves, ramorum aciculares.

Patria: Habitat rarius in collibus vineis.

249.

*Polyporus Pisâchapâni.**)

Char. spec. P. (Pleuropus) suberosus, niger, pileo horizontali margine radiato, radiis praelongis arcuatis apice pallidis.

Patria: Habitat ad truncos putridos Iavae insulae. *Blume.*

Descriptio. Inter multa et pulcherrima Florae dona, quae *Blumius* noster in Java insula, plantarum fertilissima, collegit et humanissime nobiscum nuper communicavit, nulla res magis hominum oculos in se convertit, quam *Fungus* iste, qui ex humilioribus quidem et e servorum tribu ortus, tamen altioribus cunctis ipsisque principibus plantarum aliena sua et sane miranda specie antecellit.

Est ingens quidam *Boletus*, manus, praelongis digitis instructae, forma, coloris aterrimi, soli illius vi et ubertate e *Polipororum* familia enatus. *Stipes* erectus, nonnihil incurvus et subrugosus, sex pollices longus, vix pollicem dimidium crassus, durus et lignosus, apice expanditur in pileum horizontalem semicircularem quinque pollices latum, duos pollices cum dimidio longum et tres ad quatuor lineas crassum, qui latere superiori ater et nitidus, more generis striis concentricis elevatis

---

*) Pisâcha (Pisatscha pronunciandum) Daemon malignus, et pâni, manus.

a Schlegel.

distinguitur. In latere inferiori hymenium videbis, linea marginali prominente cinctum, cujus *pori*, per se quidem minutissimi, materie etiam vernicosa obliti nudosque oculos, veluti punctula superficialia, facile effugientes, cultri et lentis vitreae ope quaerendi sunt. Et ad hos usque terminos *Fungus* quidem noster formae tritissimae esse videtur nec quidquam insoliti refert. Sed nova statim orta evolutione, *pileus* iste parvus in appendicem, mole sua et forma perinsignem, increscit. *Apex* etenim pilei abit in processum latum, *carpo* manus similem, ex quo radii septem longissimi, leniter incurvi, ad basin compressi, reliqua autem parte teretes, nonnihil rugosi et subnodosi, in apicem acutiusculum desinentes, ascendunt, qui in longitudine pollicum viginti et duorum sunt, lineas autem quatuor vel quinque crassi, coloris in sicco atri, nitentis, versus extremum apicem in ferugineum vergentis. Adest praeterea octavi radii pars imperfecta, exigua et quasi trunca. In *fungo* recenti cl. *Blumius* radios istos spissiori quadam collinitos observavit mucilagine, quae exsiccando denique in crustam rigidam resinosam et quasi vernicosam induruit.

Observatio. *Structura* interna stipidis strata quatuor diversa ostendit, quorum *exterius* durissimum est et contextus floccosi densioris; *secundum* molle, spongiosum et castanei coloris, e contextu floccoso laxiori constat; stratum *tertium* idemque majorem totius stipidis partem implens, sublignosum, e meris vesiculis subglobosis

compositum, ad super accedit et cavitatem veluti medullarem, substantia floccoso-stupposa, strato secundo simili, repletam, cingit. Apices radiorum, cortice duriori orbati, toti floccis quam in secundo tenerioribus, sed magis compactis, continentur. Qua ratione *Fungi* hujus structura interna, quamvis e simplicissimis elementis composita, diversa arborum strata, corticem, librum, lignum et medullam, imitatur.

Pori hymenii, sub microscopio composito examinati, thecas tenuissimas filiformes pellucidas produnt; sporae desiderantur.

Locum in systemate mycologico singulari huic speciei quaerendo non incommode inter *Polyporos pleuropodes* post *Polyporum Amboinensem Fr.* collocabis, etiamsi ab omnibus congeneribus appendice illa maxima et monstrosa summopere aberret et simile quiddam cum *Clavariis* et cum *Cordyliarum* stromate habeat.

Adnot. *Fungi* illi digitati, a *Rumphio* in Herbario Amboinensi obiter commemorati, accedere videntur nostro.

Nees ab Esenbeck.

250.

Urena mauritiana Sternb.

(Sub cent. Flor. mauritian. Sieberi)

Char. spec. U. Foliis subtus uniglandulosis sinuato-quinquelobis; lobo medio trilobo, lateralibus sinuato-bilobis dentatis.

Patria: Habitat in insula St. Mauritii. ♄:

Descriptio. *Caulis* frutescens uti tota planta pilosus. *Folia* petiolata, profunde quinqueloba, sinubus ellipticis subclausis, lobo medio trilobo, dentato, lateralibus sinuato-bilobis. *Calyx* valde pilosus. *Flores* et *fructus* ut in *Urena sinuata.*

Critica. Affinis *U. sinuatae,* differt tamen glandula unica in nervo medio foliorum, sinubus profundioribus subclausis, pilositate caulis et calycis, ab *U. multifida* forma foliorum omnino diversa. *Urena sinuata Swartz* obs. 264. quam ob porum solitarium glandulosum *Willden.* ab Urena *sinuata* excludit, hujus forte est loci.

Com. Casp. de Sternberg.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

FU
778e
Get
R

HARVARD UNIVERSITY

LIBRARY

OF THE

GRAY HERBARIUM

Received 12 Nov. 1925.
Transferred from
Harvard College Library